# CÆCILI RHETORIS FRAGMENTA DISSERTATIO PHILOLOGICA…

Theophilus Burckhardt

2883

# CÆCILI RHETORIS FRAGMENTA

COLLEGIT, DISPOSUIT, COMMENTATUS EST

THEOPHILUS BURCKHARDT
BASILEENSIS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS SCRIPTA

BASILEAE.
SCHULTZE & RIEHM IMPRESSERUNT
MDCCCLXIII

# CÆCILI RHETORIS FRAGMENTA

COLLEGIT, DISPOSUIT, COMMENTATUS EST


**Theophilus Burckhardt**
BASILEENSIS.


## DISSERTATIO PHILOLOGICA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS SCRIPTA.


1872



BASILEAE
BALMER ET RIEHM IMPRESSERUNT
MDCCCLXIII.

FRANCISCO DOROTHEO GERLACHIO

GUILELMO VISCHERO

PRAECEPTORIBUS

De Caecilio rhetore quamvis multi viri docti hic illic obiter disputaverint, tamen accuratius huccusque nemo fragmenta digessit et commentatus est. Itaque cum et olim inter aequales posterioresque rhetores magnam huic viro fidem habitam esse et nunc diversissima de eo iudicia ferri viderem, operae haud exiguum pretium esse duxi diligentius de eius vita et scriptis inquirere. Id tamen fortasse minus excusationis eget, quam quod certis testimoniis destitutus saepe ultra probabilitatem quaestionem perducere non potui.

Et pauca admodum sunt quae Mongitor Biblioth. Sicula I. pag. 117 sq.; Taylor praef. ad Lysiam in Reiski oratorr. graec. vol. VI. pag. 66 sq.; A. G. Beckerus: des Demosthenes Philipp. Reden übers. (1826) pag. XVI et 509 de vita rhetoris eadem omnes adnotarunt; paullo plura Fabricius Bibl. gr. vol. VI pag. 124 sq. ed. Harl; Toupius ad Pseudolonginum περὶ ὕψους I, 1 (editionis Weiskianae Lips. 1809 pag. 219—22); Krügerus ad Dionysi historiographica praef. pag. VIII sq.; Westermannus in historia eloquentiae I §. 88, 16—18 et tum in quaestionibus Demosthenicis part. IV pag. 41—42; Georgius Buchenau in dissertatione de auctore libri περὶ ὕψους (Marburgi 1849) pag. 40—46 disputarunt; accuratissime vero de quibusdam egit Maur. Herm. Meierus in commentatione IV de Andocidis quae vulgo fertur oratione contra Alcibiadem, Opuscul. I pag.

128 sqq. (1837); fragmenta collegit Carolus Müllerus in historicorum Graecorum fragmentis vol. III (1849) pag. 330—33. — Alia adire non potui quae Belin de Ballu histoire critique de l'éloquence chez les Grecs II pag. 93 sq.; Osannus: Beiträge zur griech. u. röm. Litteratur. I App. 2 p. 295 sq. attulerunt. Singula quoque quae apud viros doctos adnotata inveni infra commemorabo.

## Cap. I. De vita Caecili commentatio.

Primum de vita inquirens nihil novi invenire potui praeter illa ab aliis iam dicta, quae quod fere omnia ex Suida pendent, huius verba ipsa adpono:

Καικίλιος Σικελιώτης Καλαντιανὸς - Κάλαντις δὲ πόλις Σικελίας - ῥήτωρ σοφιστεύσας ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος [καὶ ἕως Ἀδριανοῦ] καὶ ἀπὸ δούλων, ὥς τινες ἱστορήκασι, καὶ πρότερον μὲν καλούμενος Ἀρχάγαθος, τὴν δὲ δόξαν Ἰουδαῖος. Βιβλία δὲ αὐτοῦ πολλά; quibus recensitis ab aliis et diversis inter sese manibus addita sunt in fine: [πῶς δὲ Ἰουδαῖος ταῦτα θαυμάζω] [Ἰουδαῖος σοφὸς τὰ Ἑλληνικά.]

Patriam non Κάλαντιν urbem sed Καλὴν Ἀκτὴν vel Καλάκτην fuisse, coloniam Samiorum et Milesiorum in septentrionali Siciliae ora maritima sitam (cf. Herod. VI 22; Zumpt ad Verrin. pag. 518), plerique viri docti iam viderunt; et nominis gentilis formam Καλακτῖνος vel Καλακτίτης ex nummis et Stephano Byzantio eruit Müllerus. Deinde ex servis eum natum fuisse non est quod addubitemus, si quidem nomen (Κεκίλιος in codicibus plerumque scribitur) Latinum, vir ipse Graecus fuit; neque a veri similitudine abest, quod idem

vir doctus coniecit, maiores eius e Syria, unde magnus servorum numerus in Siciliam venit, oriundos fuisse, et inde Suidam fortasse recte tradere rhetorem Judaicae fidei fuisse addictum; hoc tamen Toupius ad auctorem π. ὕψους I, 1 sine iusta causa negans inde ortum putat, quod Suidas Q. Caecilium Nigrum, famosissimum illum Verris quaestorem cum rhetore Calactino confuderit; illum enim Ciceronem ut Judaeum irrisisse dicentem: quid Judaeo cum Verre? (Plut. Cic. cp. 7). Mihi quidem res ita comparata esse videtur, ut quid verum sit, iam disceptare non possimus. Neque enim Mülleri neque Toupii sententiae certis causis sustinentur; neque illud quod Röperus quondam in Schneidewini Philologo vol. I, pag. 631 sq. adnotavit quidquam probat; qui quidem, quod in libro π. ὕψους cap. 9, 9 exemplum legitur ex initio scriptorum sacrorum sumptum, id auctorem adversario suo Caecilio debere putavit; sed cum omnia illa male ab interpolatore inserta esse recte viri docti animadverterint (cf. Spengel Rhetores Gr. I praef. XVI), nihil inde ad hanc quaestionem solvendam consequitur. Fieri tamen potuisse ut Caecilius Judaeus fuerit non est cur negemus; nam Judaeorum scripta et mores tum temporis admodum nota fuisse ex hoc quoque conicias, quod iam Apollonius Molo rhetor et Lysimachus Alexandrinus contra ea vehementissime scripsisse dicuntur a Josepho contra Apion. II, 14 cf. Mülleri fragm. hist. Gr. III. pag. 334.

Ceterum miror, ea quae Toupius Suidae obicit, Mongitorem et Georgium Buchenau. ll. ll. revera commisisse, qui Quintum illum Caecilium, Ciceronis adversarium, eundem fuisse putant atque rhetorem. Cui

opinioni temporum ratio vel maxime obstat; nam cum Suidas rhetorem sub Augusto scholas Romae habuisse dicat, et scripta eius plurima non in prima Augusti imperatoris tempora cadere videamus, vix fieri potuit, ut anno septuagesimo ante Chr. vicesimum septimum (ut minima dicam) annum iam excessisset.

Atque haec quidem de nomine, patria, genere. Quando vero natus, quando mortuus sit nescimus, neque aliud quidquam de eius vita notum est, nisi quod Augusto imperatore Romae rhetoricam docuit Suida auctore; qui quod verba καὶ ἕως Ἀδριανοῦ addidit haud dubie erravit, fortasse alium Caecilium (Sextum Caecilium iure consultum suspicatur Müllerus; cf. Gell. XX, 1) cum Calactino confundens. Hunc autem, de quo agimus, fortasse a L. Caecilio Metello, qui post Verrem anno 70 a. Chr. Siciliae praetor fuit clementissimus (Cic. Verr. lib. III, 16, 43), puerulum in Italiam transductum ibique a posteris Metelli manu missum esse haud iucunsta est Mülleri coniectura. Sed obstat temporum ratio, si quidem post Augusti obitum eum adhuc vixisse ex Suida recte colligimus.

Sed iam ad certiora festinemus et, quo potissimum temporis spatio Caecilius floruerit, definire conemur. Et ad Augusti quidem tempora refertur aliis quoque Suidae locis: s. v. Ἑρμαγόρας Τήμνου — ἐπαίδευσε δὲ οὗτος μετὰ Καικιλίου ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Καίσαρος Αὐγούτου καὶ τελευτᾷ πόῤῥω τῆς ἡλικίας; quem Hermagoram ut cum Meiero (comment. IV de Andoc. orat. contra Alc. not. 35) iuniorem quendam esse putemus Quintiliano III, 1, 18 commemoratum, certam causam non video; et idem s. v. Τιμαγένης Timagenem σοφιστεῦσαι dicit sub Pompeio et post eum ἐπί τε Καίσαρος τοῦ Αὐγούστου καὶ μετέ-

πειτα ἅμα Κεκιλίῳ, quae verba Müllero ea de causa dubitationem moverunt, quod Timagenes, qui anno 55 a. Chr. captivus Romam venisset, nonagenarius fere esse deberet, quo tempore Augustus obiit, neque postea floruisse posset cum Caecilio, cuius sub Augusto et antea aemulus fuisset. Itaque ut supra Caecilios, ita hic duos Timagenes confusos esse putat. Sed utcunque de Timagene iudicamus, Caecilium non solum sub Augusto sed etiam postbac docuisse Suidae verba satis demonstrant; verum quod etiam ante eius imperium Müllerus dixit, non puto ex eo loco colligi posse; nam „ἅμα Κεκιλίῳ“ non nisi ad posteriora: „ἐπὶ τε Καίσαρος“ etc. spectare videntur. Optime vero cum hac nostra sententia convenit, quod, ut infra docebimus, clarissima Caecili scripta post Dionysi Halicarnassensis commentarios de antiquis oratoribus et de Dinarcho edita sunt; hic tamen quod in epistola ad Cn. Pompeium, quae et ipsa illis commentariis posterior est (nam integrum locum auctor inde ipse affert) Caecilium ut familiarissimum memorat (cap. 3 VI p. 771 ed. Reisk.), ab illo fere tempore Calactinum rhetorem florere coepisse conicio, dico ab anno fere vicesimo ante Chr. Quod si recte disputavimus, ex utriusque, Dionysi et Caecili, aetate et scriptorum similitudine hunc illius discipulum si non multis, nonnullis tamen annis iuniorem fuisse verisimile videtur. Ceterum quibus praeterea praeceptoribus Caecilius usus sit non traditur; Apollodorum tamen eum audivisse conicio ex Quint. IX, 1, 12, „Apollodorus, si tradenti Caecilio credimus, incomprehensibilia partis huius (i. e. figurarum) praecepta existimarit;“ hoc enim Caecilius, ni fallor, non ex illius scriptis sed ex scholarum con-

suetudine sumpserat; quidni enim Quintilianus ipsa eius scripta, quae alias laudat, memoravit? Adde quod III, 1, 18 dicit „Apollodori praecepta magis ex discipulis cognoscas,“ unde patet eum plurima cotidianis scholis, non scriptis tradidisse.

## Cap. II. De scriptis Caecili commentatio.

Jam ad alteram disputationis partem multo locupletiorem transeuntes de singulis scriptis, quorum quae supersunt post Müllerum iterum infra congessimus, exponemus et, qui potissimum librorum fuerit conexus quidque de unaquaque re iudicandum sit disseremus. Et cum tria Caecilianorum scriptorum genera esse videantur, primum eorum, quae ad oratores Graecos enarrandos et commentandos pertinent, alterum rhetoricorum, tertium de historia et de rebus gestis compositorum: singula separatim, ut par est, tractabimus.

Et primi quidem generis praestantissimus liber fuit is, quem περὶ τοῦ χαρακτῆρος τῶν δέκα ῥητόρων inscriptum Suidas tradit, qui, si quid e reliquiarum haud exiguo numero suspicari licet, ceteros et magnitudine et dignitate antecessisse videtur. Ibi cum Caecilius de decem illis Atticis oratoribus ageret, rem plane ita instituit ut Dionysius in commentario de Dinarcho. Primum igitur vita breviter, ni fallor, enarrata in dicendi oratorum generibus diiudicandis et describendis plurimum elaboravit; qua in re ne temere iudicaret, quae orationes genuinae, quae falsis oratorum nominibus inscriptae essent, antea erat disceptandum. Hoc autem critici munere tum, cum Cae-

cilius scripsit, nemo diligentius et omni ex parte functus erat; nam Dionysius quidem quamvis paucis annis ante novam in hoc disciplinae campo viam ingressus de Lysia, Isocrate, Isaeo, Demosthene, Aeschine, Hyperide, Dinarcho commentarios edidisset, tamen eius rhetoris iudicia iterum erant examinanda et de ceteris oratoribus de integro inquirendum. Callimachus enim, cuius tabulae tum per omnium manus ferebantur, plurimum laboris poetis tribuerat, de oratoribus breviter et multa temere egerat, ita ut, qui paullo accuratius et orationum scribendi genus et rerum gestarum tempora inspicerat, eum facile multorum errorum damnaret*). Quare multus est in Callimacho acriter vituperando Dionysius cum alibi tum in Dinarcho cap. 1 (V, 630 R.); idemque Caecilius fecisse videtur (fr. 20) cum magna sui ipsius iudicii confidentia. Neque tamen negari poterit eum diligentissime partes suas egisse; cui rei testimonio est apud posteriores rhetores eximia viri auctoritas; nam saepe eum κριτικὸν appellatum cf. locum supra allatum fr. 20; fr. 9[b]; fr. 13[b] οὐκ ἐγκρίνει αὐτὸν ὁ Καικίλιος, quod verbum eum significat, qui omnium quasi canon et regula sit habendus) et eius iudicia tacite a posteris probata fuisse videmus (cf. Suidae enumerationem scriptorum Lysiacorum not. 10 et Lycurgeorum fr. 15); testimonio sunt ipsa fragmenta in vitis X oratorum exstantia. Nam non modo genuinarum spuriarumque orationum numeros, sed harum quidem singulos quoque titulos, nisi fallor, Caecilius adposuit (cf. fr. 3. 15.), fortasse causas, qui-

*) De qua re cf. Rehdantz in Schäferi libro „Demosthenes und seine Zeit" vol. III. B. „Schluss"; de ceteris post Callimachum grammaticis Meieri comment. de Andoc. orat. contr. Alc. IV.

bus ductas orationes spurias iudicaverit, breviter exponens. At de his quamvis temporum iniquitate nobis iam disceptare non liceat, tamen illud intellegimus, Caecilium non alienis sed suis argumentis nisum iudicavisse; cum enim Dionysium, aequalem et familiarem suum, qui ei indicandi viam praemunierat, in multis rebus, ut par est, sequatur, tamen saepe vel maxime ab eo abhorret, sicut Demosthenis, de quo praeter hunc librum singulariter quoque scripsit, multo plures quam Dionysius orationes genuinas adgnovit (fr. 16). Similiterque cum hic ordinem Olynthiacarum immutavisset, illum, quamvis argumenta non satis firma ei suppeterent, adversarium exstitisse videmus (fr. 17). Neque tamen rhetores tota studiorum ratione inter sese coniunctissimi tali indiciorum discrepantia alius ab alio alienati sunt; nam Dionysius in epist. ad Cn. Pompeium Caecilium familiarissimum laudans ad ipsum hunc librum de oratoribus respicere videtur. Quae si recte suspicor, ut quando fere Caecilius librum ediderit definiam, hoc factum esse dico inter Dionysi epistolam ad Cn. Pomp. et commentarios de Demosthene, Dinarcho, ceteris oratoribus editos. Nam ante Demosthenem et Dinarchum statuere et iudicium Caecili de altera Olynthiaca et illud vetat, quod Dionysius in Dinarchi initio plane ita loquitur, ut qui primus ad eum oratorem accuratius tractandum accesserit: V p. 629 R. ἅμα δὲ ὁρῶν οὐδὲν ἀκριβὲς οὔτε Καλλίμαχον οὔτε τοὺς ἐκ Περγάμου γραμματικοὺς περὶ αὐτοῦ γράψαντας; et pag. 633 ἃ οὖν ἐγὼ αὐτὸς δι' ἐμαυτοῦ κατελαβόμην ταῦτ' ἐστίν.

Nec vero solae res criticae Caecilio curae fuerunt, sed, id quod iam libri titulus monet, definire studebat,

quo potissimum genere dicendi singuli oratores essent usi; quae cum fere omnia perierint, tamen, si pauca, quae exstant, fragmenta perlustraverimus, haud contemnenda elucebunt in hac quoque parte viri industria et ingenium. Nam in universum quidem cum de oratorum genere dicendi fere eodem quae Dionysius et ceteri eius aetatis rhetores iudicavisset*), tamen artes veterum perscrutans et orationes ad ipsorum praecepta revocans de veterum scholarum inter sese conexu et praeceptis, ut ab aliis ad alios tradita essent, investigandis egregie meritus est. Et Lysiae quidem atque Isaei artes non solum cognovit, sed etiam illius orationum duo genera esse intellexit, alterum earum, quae veris causis essent accommodatae, alterum ad scholarum usum et voluptatem excogitatarum (cf. epimetrum II). Deinde singulare iudicium de sententiarum figuris exposuit, quas a primis illis Atticis oratoribus non adhibitas, sed ab Isaeo demum inventas et maxime a Demosthene usurpatas fuisse putavit (fr. 5. 7. 11.); nimirum non eas figuras dicit, quae natura quadam et fortuito fiunt, sed quae cum arte et consilio ornatus causa finguntur.

Denique in vitis quoque enarrandis non de erat Caecili diligentia et litterarum eximia doctrina, si quidem non solum Hermippi, Idomeni**), ceterorum haud dubie, qui de oratoribus scripserant, libris usus est, sed etiam decretis publicis, quae ex Crateri (ut Wester-

*) E. c. Lysiae quod brevitatem et vigorem purumque Atticum sermonem laudat, disponendi vero artem vituperat, illud et Dionysi de Lys. cap. 2. 10 et omnium eiusdem aetatis, hoc iam Platonis fuerat iudicium (fr. 9 b).

**) Nam Caecilio haec nomina debere videtur scholiasta fr. 12 a.

mann. suspicatur vit. X orr. praef. 11) aut alius cuiusdam scriptis deprompta fortasse saepius ipsa adposuit (fr. 4). Non pauca vero minus certis testimoniis nisus coniciendo ausus esse videtur, quo ex genere ea sunt, quae de Antiphonte Thucydidis (fr. 1), de Leodamante Aeschinis magistro (fr. 12) iudicavit; nam illud quidem quamvis a veri similitudine non abhorreat, tamen non nisi ex laudibus coniecit, quibus Thucydides VIII, 68 oratorem effert (cf. Krüger. vita Thuc. 33—37); similiterque alterius coniecturae fontem Westermannus (ibid. pag. 8 not. 19) locum in Aeschinis oratione c. Ctes. §. 138 esse sagaciter investigavit, ubi Aeschines Leodamantis eloquentiam ipsius Demosthenis virtuti adaequat, quin etiam propter suavitatem illam praefert. Verum enim vero tantum Caecili iudicium apud posteros valuit, ut, quod ille modo coniecerat de Antiphonte et Thucydide, id Hermogenis quidem aetate fere omnes verum esse crederent (Hermog. π. ἰδ. II cap. 11 de Antiph.). Quae omnia consideranti a vero haud abhorrere mihi videtur, canonem illum decem oratorum a Caecilio primum constitutum esse et huius ipsius libri, de quo agimus, auctoritate mox in omnium ora abiisse; quam rem Meierus in egregia commentatione de Andoc. orat. c. Alc. quarta Opusc. I pag. 120—42 multis librorum testimoniis doctissime probavit.

Sed in illud minus diligenter inquisivit vir doctus, quibus causis et consiliis motus Caecilius hos potissimum decem elegerit et a reliquis segregarit. Nam recte quidem dicit pag. 140 unam oratorum indolem neque grammaticam aliquam rationem spectatam esse in delectu faciendo, quem admodum venuste eum

pinacotheca comparans eam potius pinacothecam referre putat ubi quaedam quasi historiae quam eam in qua sola pulchritudinis et venustatis lex regnet. Sed mox ab hac sua opinione discedens partem quidem decem oratorum tria illa genera dicendi, quae rhetores sibi finxerant: αὐστηρὸν, μέσον, ἰσχνὸν repraesentare statuit, ita quidem, „ut sublimitatis inchoatae ad Isaeum, absolutae laus ad Demosthenem, mediocris et temperatae eloquentiae initia ad Isocratem, fines ad Hyperidem, tenuis autem, humilis et subtilis orationis semina quasi ad Lysiam referenda sint, maturitas ad Aeschinem." In ea enim sententia Dionysium esse de eratorr. antiq. V pag. 451 R.; de Dinarcho pag. 629; de Isaeo pag. 628, neque rationem esse cur ab eo indicio gravissimo canonis auctorem abhorruisse credamus. His deinde adiectos fuisse ceteros: Antiphontem, ut qui primus orationes scriptas reliquisset, Lycurgum propter eximiam dicendi vim et acerbitatem, Dinarchum ut felicissimum trium simul dicendi generum imitatorem, denique Andocidem infimum omnium, cuius oratio ab arte et scientia aliena tamen quandam quasi naturam sequeretur. Et haec quidem Meierus; quorum alia vera sunt, alia esse quidam videntur sed dubia sunt, illa vero de tribus dicendi generibus etiam falsa. Nam primum si revera Dionysius id consilium secutus esset quod vir doctus voluit, non propterea Caecilius idem fecisse erat putandus. Sed ne Dionysius quidem secutus est; numquam enim Demosthenem grandi et copioso sed semper medio generi adscribit, cuius si non inventorem, praecipuum tamen ante Demosthenem cultorem Isocratem fuisse dicit (Dem. vis cap. 3; 8 sqq.); itaque Isaeum

quoque, ex quo quasi seminibus Demosthenicam vim ortam putat de Isaeo pag. 628, grandis generis inventorem significare voluisse non potest. Quod si iam in Dionysium non quadrant illae, ut ita dicam, capsae rhetoricae, quibus singuli scriptores a rhetoribus iniecti esse dicuntur, quanto minus ad Caecilium, cui decem oratores erant tractandi, numerus nullo modo triadi conveniens. Immo ad primam Meieri sententiam redeundum esse puto et statuendum, Caecilium eos qui tum plurimi aestimabantur Atticos oratores eligentem, ut, quid de uno quoque iudicandum et in imitando sumendum esset doceret, ad solas historiae leges respexisse et in id quidem vel maxime animum attendisse, quid in arte dicendi singuli oratores eorumque sectae aut novum invenissent aut ab aliis sumpsissent. Nam tum demum recte demonstrari poterat non Thucydidem, non Lysiam, non Isocratem solos imitandos esse, si quis illos oratores non in universum sed pro suo quemque tempore summum eloquentiae fastigium assecutos esse ostenderet.

Iam igitur Caecilium revera historiae leges secutum esse, ne Dionysium, qui idem seniores a recentioribus separans semper quem quisque imitatus sit et quid invenerit quaerit, ne Dionysium, dico, testem afferam: ex Pseudoplutarchi vitis et ipsius Caecili fragmentis coniicere licet. Nam illae (de prima, quam infra epimetr. I dixi, parte loquor) cum paullo post Caecili librum conscriptae neque tamen ex Didymi Chalcenteri commentariis derivatae videantur, immo adeo ipsi Caecilio non nulla debeant: unde factum esse putemus, ut aetatis ordinem sequantur singulorum oratorum, nisi ex eiusdem, cuius vestigia presserunt, rhe-

toris libro? Tum vero quod Caecilium de praeceptoribus qui artem tradebant coniecturas protulisse et praecipue de figuris, ut a primis inde usque ad posteriora tempora tractatae essent, accurate inquisivisse vidimus, etiam id vel maxime sententiae nostrae favere videtur.

Quae si recte disputavimus, liber de decem oratoribus historic, quam dicimus, eloquentiae Atticae fuit; non autem omnium oratorum eloquentiae, sed eorum tantum qui et orationes scriptas reliquerant et tum temporis magni inter rhetores habebantur. Etenim non nisi hac de causa Dionysius quoque se Dinarchum tractandum sibi proposuisse profitetur init. pag. 629: ὁρῶν δὲ καὶ τοῦτον τὸν ἄνδρα παρὰ πολλοῖς ἠξιωμένον ὀνόματος ἐπὶ δεινότητι λόγων καὶ ἀπολελοιπότα δημοσίους τε καὶ ἰδίους λόγους οὔτε ὀλίγους οὔτε εὐκαταφρονήτους ἡγησάμην δεῖν μὴ παραλιπεῖν αὐτόν. Itaque Caecili negotium erat: et certum quendam numerum eorum qui iam summi habebantur constituere et iudicium, quod vulgo de eis ferebatur, dum singula inquireret, accuratius definire. Quo munere quam egregie post Dionysium functus sit, non est, cur iterum moneamus.

---

Sequitur liber de Platone et Lysia. Cum enim de decem oratoribus disputans Caecilius Lysiam rebus inveniendis quidem aptum sed disponendis imparem dixisset, plane mirum videtur, quod, si Pseudolonginum π. ὕψ. audimus, Lysiam magis quam se ipsum diligens, Platonis vero vehementissimo odio actus hunc acerrime vituperavit, illum ad coelum laudibus extulit

(fr. 24). Nam ut simul Lysiae tantam perfecti sermonis partem, qualis οἰκονομία est, abiudicaret eamque reprehensionem a Platone, quem ipsum vituperare studuit, mutuaretur, nullo modo fieri potuit. Itaque, quae Spengelius quoque συν. τεχ. 123 not. 60 se coniungere non posse profitetur, ita mihi explicasse videor, ut illa συγγράμματα Pseudolongino allata a libro de decem oratoribus diversa fuisse statuam. Id enim iam titulus: ἐν τοῖς ὑπὲρ Λυσίου συγγρ. accuratius intuentibus suadere potuit. Quare, quem ad modum Demosthenis et Ciceronis, Demosthenis et Aeschinis comparationem ediderat Caecilius, ita hos quoque commentarios σύγκρισιν Πλάτωνος καὶ Λυσίου inscriptos fuisse putaverim.

Quod autem ipsum illud iudicium attinet, non primus fuit rhetor Calactinus, qui talia in Platonem vituperaret; nam plane eadem famosa illa philosophi reprehensio legitur apud Dionysium (Dem. vis cap. 23—29 et postea Epist. ad Cn. Pomp. cap. 1. 2.), ubi παχύτητα, vanum tumorem et verborum translatorum abusum ei imputat, non ubique quidem, sed in certis saltem scriptorum partibus. Neque aliter igitur Caecilius Platoni Lysiam opposuit ex utroque exempla afferens, quorum unum Pedlong. (fr. 24) describit. Et in ea sententia explicanda satis vehementer egisse videtur; nam etsi concedimus auctorem libri περὶ ὕψ., Platonis sectatorem, in idem nimiae vehementiae vitium incidere — neque enim probavit neque probare potuisset Lysiam saepius peccare contra puri Attici sermonis elegantiam — tamen illud stat, Caecilium Lysiam Platone longe superiorem iudicasse. Iam nostra quidem aetate quamvis nemo Platonis magni-

loquentiae Lysiae gracilitatem praelaturus sit, tamen qui de rhetoribus illis recte indicare vult, eis ignoscet, quod iusto Asiatici generis dicendi odio abducti nimis anxii puri et consueti Attici sermonis exstiterint patroni.

Ceterum Caecili libellus, nisi fallor, post Dionysi epistulam ad Cn. Pomp. in lucem prodiit; non enim, nisi ita esset, Dionysius ceteros Platonis vituperatores ibi commemorans (VI, 757 R.) amicissimum Caecilium reticuisset.

---

Similes deinde de oratorum characteribus libri a Suida nominantur: σύγκρισις Δημοσθένους καὶ Αἰσχίνου et σύγκρ. Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος (de quo vide infra), quorum fragmenta nulla potui invenire.

Accedat his vocabulorum delectus a Suida allatus: (κατὰ Φρυγῶν δύο) ἔστι δὲ κατὰ στοιχεῖον. ἀπόδειξις τοῦ εἰρῆσθαι πᾶσαν λέξιν καλλιῤῥημοσύνης. ἔστι δὲ ἐκλογὴ λέξεων κατὰ στοιχεῖον; quem locum cum corruptum esse appareat, veri simillime restituisse videtur Meierus (comment. de Andoc. or. IV not. 44; opusc. pag. 131): ἐκλογὴ λέξεων κατὰ στοιχεῖον. ἔστι δὲ ἀπόδειξις τοῦ εἰρῆσθαι (vel: τοὺ δεῖν εἰρῆσθαι?) πᾶσαν λέξιν καλλιῤῥημοσύνης (vel: μετὰ καλλ.); et hunc quidem delectum ad solos oratores spectasse cum per se probabile est tum Lysimachidis libro, qui ei oppositus erat, confirmatur (fr. 28). Καλλιῤῥημοσύνη autem vocabulo Caecilius significasse videtur omnia, quae orationem puram, honestam, gravem efficiunt; si quidem Dionysius tali vel similibus verbis id significat: de comp. verb. 3 λέξις καθαρὰ καὶ καλλιῤῥήμων; ibid. σεμνὸν ἢ καλλιλο-

γεῖσθαι ἐπιτήδειον (oppos. ταπεινὸν, αἰσχρὸν); cap. 16 μόρια τῆς λέξεως εὔφωνα καὶ καλλιρρήμονα. Ad talia igitur (ὀνομάτων ἐκλογὴν dicebant banc artis partem) Caecilium spectasse putaverim partem earum rerum tractantem, quas omnes in libro περὶ ὕψους (de quo infra) complexus est, et ita quidem, ut ex Atticis oratoribus quae vocabula καλλιρρημοσύνης essent, quae minus essent, quae ab oratoribus apte, quae inconvenienter innovata, quae cotidiana, quae inveterata vocabula adbibita essent, doceret. Hac enim ratione fieri potnit, ut etiam ea vocabula, quae potius interpretatione egerent, quam quae propter solam venustatis speciem commendanda essent, tractaret; qualia nobis pauca tradunt lexicographi (fr. 25—28).

---

Tum in eisdem scriptis, quae ad Atticum scribendi genus pertinent, numerandus est libellus a Suida allatus, ceterum nobis ignotus: τίνι διαφέρει ὁ Ἀττικὸς ζῆλος τοῦ Ἀσιανοῦ. Cui num similis fuerit, quem κατὰ Φρυγῶν β' inscribit idem lexicographus, admodum incertum est; Müllerus quidem (frgm.) contra Asianos rhetores scriptum fuisse suspicatur.

Denique in scholio Plautino codicis Vaticani (ed. Ritschl. in Alexandrin. Bibl. p. 3): „Caecius in commento comoediarum Aristophanis“ Caecili nomen restituendum esse vix putaverim; nam ne vestigia quidem indagare possum, quibus hunc rhetorem alios quam prosae orationis scriptores attigisse suspicer.

---

Iam alterius Caecilianorum scriptorum generis, quod ad artem rhetoricam pertinet, primus is liber nominandus est, quem de figuris edidit teste Quintiliano IX, 3, 89: „haec omnia (scil. de figuris verborum et sententiarum) copiosius sunt executi qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverant, sicut Caecilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius aliique non pauci.“ Quem librum quod Quintilianus, vir elegantiae intellegens existimator, saepe laudat et in suum usum confert, haud exiguam Caecilio fidem habuisse videtur.

Saepius tamen a Tiberio rhetore loci Caeciliani afferuntur in libro περὶ τῶν παρὰ Δημοσθένει σχημάτων (Walz. rhet. VIII). De cuius auctoris aetate utut iudicatur — post Apsinem Gadareum, itaque saeculo fere tertio exeunte vel quarto scripsisse videtur — cum omnia ex aliis describere, de suo nihil fere addere, et ex tota libri ratione et inde patet, quod permulta saepe ad verbum cum Alexandri Numenii libro περὶ σχημάτων (Walz. ibid.) congruunt (cf. exempli causa verba κλῖμαξ Alex. 467 cum Tib. 557; περίφρασις Alex. 468 cum Tib. 564; ἐπανάληψις Alex. 444 et 463 cum Tib. 554); neque tamen alter ex altero, sed uterque ex eodem fonte descripsisse putandi sunt; nam et hic et ille in similibus rebus habent quae differant. Auctores vero secutus esse mihi videtur Tiberius solos Caecilium et Apsinem, et hunc quidem plerumque tacite describens, illum, ubi adiecit, nominatim afferens, id quod conicio ex ipsius verbis pag. 563: πλεονασμὸς δέ ἐστι — συνωνυμίαν ὀνομάζει τὸ σχῆμα Καικίλιος ὅταν κτλ — τοῦτο πλεονασμὸν ὀνομάζει Ἀψίνης, hic enim cum ad eandem rem significandam Caecilius et Apsines

diversis nominibus essent usi, Tiberius Apsinis nomen, ut quem alias sequi soleret, tacite posuit in initio, deinde etiam Caecili, ut quem praeter consuetudinem hoc loco sequeretur. Similiter inde a pag. 571 Caecilium eam ob causam semper affert et usque ad finem describit, quod si loci omnes ab Apsine fuerint emissi: τὴν δὲ διατύπωσιν παρῆκεν Ἀψίνης, Καικίλιος δὲ ἔθηκεν, — τὸ δὲ διασυρμοῦ σχῆμα παρῆκεν Ἀψ., Καικίλ. δὲ αὐτὸ ἐνέθηκε.

De Alexandro deinde, si ea quae supra dixi, consideraveris, idem fere statuendum tibi erit, nempe et ipsum, ut plerisque recentioribus figurarum scriptoribus mos est, veteres auctores describere; quorum cum solum Caecilium nominatim afferat, eum quoque nonnulla ex illo servasse probabile est; id vero eis tantum locis pro certo affirmare poterimus, ubi eius verba cum Caecilianis aut a Quintiliano aut a Tiberio traditis congruunt.

Iam de singulis, quae in fragmentis infra posuimus, nihil monendum est nisi, id quod statim primo adspectu patet, Caecilium, cum paene molestam figurarum multitudinem congessisset, minima quaeque discrimina propriis nominibus notasse; sed ne nomina quidem apta inventa esse et Quintilianus ad πλεονασμὸν (fr. 39) monuit et in alia quoque, sicut μεταβολὴν (fr. 35), convenit.

Sed ad maiora festinamus id potissimum intuentes, quid in universum de figuris iudicaverit rhetor. Iam eum Phoebammone teste σχῆμα esse voluerit τροπὴν εἰς τὸ μὴ κατὰ φύσιν (fr. 41), si cum his conferimus quae supra de Antiphontis figuris disseruerat (fr. 5), statim utriusque loci apparebit similitudo; ibi enim

eum haec exponeret: οὐ τοῦτο λέγω ὡς οὐδὲν εὑρίσκεται διανοίας παρὰ ᾿Αντιφῶντι σχῆμα — — ἀλλὰ τί φημι, ὅτι μὴ κατ᾿ ἐπιτήδευσιν μήτε συνεχῶς ἐχρήσατο τούτοις, ἀλλ᾿ ἔνθα ἂν ἡ φύσις αὐτὴ μεθοδείας τινὸς χωρὶς ἀπῆγε. ὃ δὴ καὶ περὶ τοὺς τυχόντας τῶν ἰδιωτῶν ἔστιν ὁρᾶν — plane idem significasse videtur qued in definitione „τὸ μὴ κατὰ φύσιν“ vocavit, nimirum hec: non de quacunque dicendi singulari forma sese agere, sed de eis quae τὸ ἐμμέθοδον habeant, quibus cum arte quadam et consilio, non solam naturam secuti scriptores ntantur.

Eandem diversi generis figurarum differentiam explicans Quintilianus (fr. 42) Zoili et Apollodori mentionem facit. Et Apollodorus quidem, qui schema communi atque latiore illo sensu accepit, a Caecilio non nisi refellendi causa allatus esse potest; ita nt haec Quintiliaui verba ex ipso Caecilio desumpta esse putem. Eidemque auctori, nisi fallor, debent ea quae de Zoilo et Quintilianus et Phoebammo dicunt: uterque enim mirum in modum idem in eo vituperant: Phoeb. ὅτι οὐ περιλαμβάνει περὶ πάντων τῶν σχημάτων, Quint. „id ipsum tamen anguste Zoilus terminavit.“

Quin etiam a vero non abhorrere mihi videer totum hunc Quintiliani locum ad Caecilium auctorem referens, quippe quem primum talia de figuris iudicasse statuam. Nam Dionysium in artis rhetoricae capite VIII (R. tom. V) περὶ ἐσχηματισμένων α′ de nullis aliis quam quas Zoilus significavit figuris commemerantem videmus; et Caecili illa in Antiphonte verba plane ita sunt comparata, ut aucterem ibi sententiam suam ut omnibus admirabilem et contra opinionem dictam defendere concludas.

2*

Restat, ut moneamus exempla ad singulas figuras illustrandas allata non omnia ex oratorum scriptis, sed permulta ex Thucydide, alia ex Herodoto, quin e Sophocle, Euripide, aliis poetis sumpta esse. Quare librum ante commentarios de oratoribus editum esse conicio; nam Caecilius postquam decem oratores Atticos solam recte scribendi regulam proposuit, in omni de rhetoricis rebus quaestione non nisi ex illis exempla sumere potuit, praesertim ubi de figuris quaestio erat, in quas iam tum praecipue animum intenderat.

---

Huic subiungamus περὶ ὕψους libellum, de quo quaecunque scimus, ea auctori incerto, qui olim Longinus ferebatur, debemus omnia; plura quoque sciremus, nisi libri, quem auctor incertus primo post Chr. saeculo Caeciliano opposuit, quarta vel tertia pars omnino interiisset (cf. Spengeli rhet. gr. tom. I praef. pag. XIV). Caeciliani vero libri fragmenta vir doctus Georgius Buchenau in dissertatione Marburgensi „de scriptore libri π. ὕψ. 1849 admodum diligenter congessit, ita ut pauca sint, quae nova addamus de totius scripti conformatione singularumque rerum conexu.

Primum igitur, id quod Psdlong. vituperat, Caecilius minus curavit, ut oratoribus ad sublime dicendi genus consectandum praecepta daret, sed, quid sit illud ὕψος, explicasse satis habuit; idque non philosophorum, sed philologorum, ut ita dicam, ratione multis scriptorum exemplis declaravit. Excusandus tamen quodam modo videtur, quod, si recte hoc coniecerunt

ex Pseudolongini verbis Toupius et Buchenau, primus fuit, qui hanc rem tractaret.

Porro ad apparatum et partes libri deperditi investiganda satis certam ansam praebet idem auctor (fr. 44), ubi quinque quasi fontes sublimitatis enumerans eorum aliquot Caecilium omisisse dicit. Et πάϑος ne commemorasse quidem videtur; nam Psdlong. dubitat, utrum adversarium πάϑος idem quod ὕψος iudicasse, an adeo illud ab hoc alienum putasse statuat, et tum utrobique eum refellit. Cetera vero, ni fallor, Caecilius omnia tractavit; nam et Psdolong. significat et plane ea conveniunt cum partitione illa artis dicendi, quam Dionysius sua aetate vulgatam esse saepe dicit; omne enim genus dicendi dividebant in πραγματικὸν χαρακτῆρα (qui rursus aut ad εὕρεσιν aut ad οἰκονομίαν sive τάξιν pertinebat) et λεκτικὸν χαρακτῆρα, cui ἐκλογή, σύνϑεσις ὀνομάτων, tertium σχημάτων πλάσις erant subiecta. Hanc igitur partitionem Caecilium quoque secutum coniicio, sed ita, ut πραγματικὸν χαρ. ab hac quaestione alienum (cf. Pseudolong. cap. I §. 4) omitteret.

Ceterae vero libri reliquiae omnes ad ἐκλογὴν ὀνομάτων pertinere videntur (fr. 45—47); quae quidem talem nobis produnt auctorem, qui semper inter tumidum et nimis vulgarem in dicendo sermonem mediam quandam viam tenuerit, sed paullo timidius ab hac mediocritate recedi vetuerit. In universum enim iudicantibus Pseudolongini iudicium probandum erit: Caecilium propter studium quidem et diligentiam in exemplis eligendis laudandum, sed toti quaestioni omni ex parte illustrandae atque ad finem perducendae plane imparem fuisse.

Denique in artis rhetoricae scriptoribus a Quintiliano III, 1, 16 enumeratur rhetor Calactinus et aliquoties ab eo affertur. Nec vero hoc libro totum artis rhetoricae campum perlustravit, sed solo progymnasmata, quae dicebantur, scripsit, ita quidem, ut de unaquaque orationis parte: de exordio, narratione, ceteris deinceps disputaret. Similiter Dionysius in artis suae capite X: περὶ τῶν ἐν μελέταις πλημμελουμένων inde a §. 12 de eis, quae in prooemiis, narrationibus, argumentis, epilogis peccantur, disserit.

Et argumenta quidem tractans Caecilius cum quatuor status, de quibus inde ab Hermagora multa in rhetorum libris, ponendos esse diceret (fr. 49), mediam quandam viam tenuisse videtur inter Apollodorum, qui solos tres priores voluit, et Theodorum, qui quintum addidit: „ad aliquid" Quint. III, 6, 30. Plura vero de hac re nescimus.

Tum in eadem libri parte de apodixeos et epichirematis differentia exponens (fr. 50) epichirema, ut Fabii verbis utar, dixit „perfectam probationem, quae ex tribus minimum partibus constat;" ergo nihil inter syllogismum et epichirema interest, „nisi quod (cf. Quint. V, 14, 14) illi et plures habent species et vera colligunt veris, epichirematis frequentior circa credibilia usus;" ille igitur philosophis, hoc rhetoribus magis convenit. Itaque apodixin si Caecilius imperfectum epichirema esse dixit, eam minus tribus partibus, fortasse, ut enthymema, tantum a sententia cum ratione constare voluit; haec igitur et ipsa rhetorum, non philosophorum est. Iam vero cum enthymema

et apodixis eodem reverti videantur, num utrumque plane idem, an differentiam quandam interesse statuerit Caecilius, enucleare non potui.

---

Haec sunt quae ex rhetoricis adhuc exstant, in quibus, si quid video, egregia viri sagacitas minus eluxit quam in criticis oratorum quaestionibus; tamen ab hac quoque parte non exiguam apud posteros rhetoris gloriam fuisse e Tiborio tertii vel quarti saeculi rhetore perspicimus.

---

Tandem tertii generis scriptorum pauca quidem, sed tamen scitu haud indigna enumeranda sunt. Etenim quemadmodum Dionysius posterioribus vitae temporibus historiae scribendae incubuit, ita Caecilius quoque ab hac litterarum parte non fuit alienus. Nam non solum **de bellis servilibus in Sicilia gestis** commentarios eum edidisse Athenaeus V pag. 272 F. tradit, sed etiam, quod in rhetore valde mireris: περὶ τῶν καθ' ἱστορίαν ἢ παρ' ἱστορίαν εἰρημένων τοῖς ῥήτορσι Suida auctore librum composuit. A quo utrum diversum fuerit necne περὶ ἱστορίας scriptum (cf. fr. 51) nescimus. Coniecturae vero quam Krügerus Dionys. historiographica praef. IX protulit, scilicet utrumque librum Ciceronis monitu compositum fuisse, temporis ratio refragari videtur; de qua si recte e Suida et ceterorum librorum aetate conclusimus, Caecilius non ante Augusti imperium florere coepit.

Denique in Strabonis verbis V p. 20 recte Müllerus, Cramerum secutus, Caecili loco restituit: Καίλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεύς.

Atqui etiamnum supersunt quaedam, quae si uberius nobis exstarent, non minimum adderent momentum ad Caecili et ingenium et mores recta iudicanda. Dionysium enim eum constet linguam Romanam didicisse et notissime quaeque Romanorum scripta cognovisse Antiq. Rom. I, 7; de antiq. oratorr. 3, tamen praeter locos commemoratos nullibi ad ea respicere videtur. Mirum igitur quod Caecilium proprium librum scripsisse videmus ex Suida et Plutarcho, in quo Ciceronem cum Demosthene comparavit; neque ita quidem ut mores sive vitae quandam condicionem, sed ipse genere dicendi utriusque inter se conferret; quod et ipsi Plutarcho adeo mirum videtur, ut rhetorem nimiae arrogantiae accuset (fr. 52). Cuius libelli, quod ne fragmenta quidem investigare potui, vel maxime doleo. Sed Plutarchus in comparatione utriusque rhetoris eum dicendi eorum vim et scientiam non attingat, etiam Caeciliani nihil servassa videtur; et quae apud Pseudolonginum π. ὕψους cap. 12 §. 4 a nonnullis interpretibus Caecilio vindicata sunt, ab ipso auctore profecta puto; Demosthenem enim cum fulmine subito incidente atque omnia quassante, cum igni late et continuo flagrante Ciceronem comparat. At tales metaphorae a Caecili ingenio alienae fuisse videntur, neque Pseudolonginus, si ad adversarii aliquod iudicium respexisset, illius nomen reticuisset. Id tamen ex Plutarchi verbis colligas, Demostheni magis δεινότητα, Ciceroni ἡδύτητα Caecilium tribuisse.

Quod autem arrogantiae rhetorem accusat, qui homo Graeculus de Romanis scriptoribus iudicare voluerit, utrum merito fecerit Plutarchus necne, nunc iam disceptare non possumus. Ne tamen nimium rhetori Graeco tribuamus, illud quod Quintilianus VIII, 3, 35 de Sisenna tradit ad Caecilium Epirotam grammaticum, Calactini aequalem, pertinere putaverim, de quo cf. Sueton. de grammat. cp. 16. Dicit enim Quintil.: „idem (Cicero) putat a Terentio primum dictum esse „obsequium,“ Caecilius a Sisenna „albenti coelo“; neque verisimile est rhetorem Graecum quamvis linguae Romanae peritissimum in talia inquisivisse.

Iam ex his omnibus satis apparere puto quid de Caecili et diligentia et ingenio iudicandum existimem; verum tamen ut summatim, quae mihi quoque videantur, repetam, Westermanni verba adponam, qui in quaestionibus Demosthenicis part. IV pag. 42 haec de Caecilio habet: „Et hunc quidem librum (scil. De-„mosthenis et Ciceronis comparationem) etsi concedi-„mus Plutarcho imprudenter scriptum temerarioque „editionis consilio vulgatum esse, etsi praeterea con-„cedimus, multa Caecilium temere magis et audacter „quam moderate considerateque scripsisse, cuiusmodi „sunt quae protulit de praeceptoribus Thucydidis et „Aeschinis deque Lysia, haud possum tamen in eorum „sententiam concedere, qui eum tamquam hominem „nulla fide dignum aspernantur, praesertim cum vir „in testibus eligendis cautissimus Quintilianus aliquan-„tum auctoritatis ei tribuat, eaque ipsa, quae ex eius „libris hic illic excerpta reperiuntur, virum prodant „sane quam diligentem atque haud imprudentem, id „quod ex Antiphonteis intelligitur.“

## Fragmenta [1]).

### Περὶ τοῦ χαρακτῆρος τῶν δέκα ῥητόρων.[2])

### I. De Antiphonte.

Fr. 1. vit. X orr. p. 832 E Καικίλιος δὲ ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ (Ἀντιφῶντος) συντάγματι[3]) Θουκυδίδου τοῦ συγγραφέως μαθητὴν (καθηγητὴν coni. Wyttenbach.) τεκμαίρεται γεγονέναι ἐξ ὧν ἐπαινεῖται παρ' αὐτῷ ὁ Ἀντιφῶν. ἔστι δὲ [4]) ἐν τοῖς λόγοις ἀκριβὴς καὶ πιθανὸς καὶ δεινὸς περὶ τὴν εὕρεσιν καὶ ἐν τοῖς ἀπόροις τεχνικὸς καὶ ἐπιχειρῶν ἐξ ἀδήλου καὶ ἐπὶ τοὺς νόμους καὶ τὰ πάθη τρέπων τοὺς λόγους, τοῦ εὐπρεποῦς μάλιστα στοχαζόμενος.

---

[1]) Notandum est eos solos libros hic recenseri e quibus aliquid memoriae traditum est; ceterorum titulos in priori parte enumeravimus. Notulae ipsis fragmentis adiectae cum alis tum causas exponunt cur singula Caecilio vindicaverimus.

[2]) Titulum Suidas affert.

[3]) Hoc *σύνταγμα* ut non singulariter de Antiphonte scriptum fuisse, sed partem de decem oratoribus libri putem, eo adducor, quod, quaecunque alia de Antiphonte Pseudoplut. a Caecilio affert, huiusce libri speciem prae se ferunt.

[4]) Non obstat hoc Caecili de Antiphonte iudicio (fr. 5), ita ut haec omnia deinceps ex rhetoris libro desumpta esse facile crediderim; nam quod Photius cod. 259 init. (fr. 5) utrumque iudicium aliud alii opponere videtur, nihil contra me facit; ille enim cum Pseudoplutarchum describeret non magis quam nos sciebat haece Caecili verba essent necne. Quamquam de hac re me ipsum dubitare confiteor.

**Fr. 2. ibid.** 833 C. φέρονται δὲ τοῦ ῥήτορος λόγοι ἑξήκοντα ὧν κατεψευσμένους φησὶν Καικίλιος εἶναι τοὺς εἰκοσιπέντε.

**Fr. 3. ibid.** 833 D. ἐπαινεῖται [3]) δ' αὐτοῦ μάλιστα ὁ περὶ Ἡρώδου καὶ ὁ πρὸς Ἐρασίστρατον περὶ τῶν ταῶν καὶ ὁ περὶ τῆς εἰσαγγελίας, ὃν ὑπὲρ ἑαυτοῦ γέγραφε, καὶ ὁ πρὸς Δημοσθένην τὸν στρατηγὸν παρανόμων. ἔγραψε δὲ καὶ κατὰ Ἱπποκράτους τοῦ στρατηγοῦ λόγον καὶ εἷλεν αὐτὸν ἐξ ἐρήμου ἐπὶ Θεοπόμπου ἄρχοντος ἐφ' οὗ οἱ τετρακόσιοι κατελύθησαν.

**Fr. 4. ibid.** paulo post: Ψήφισμα καθ' ὃ ἔδοξεν Ἀντιφῶντα κριθῆναι, ὃ Καικίλιος παρατέθειται· Ἔδοξε τῇ βουλῇ κ. τ. λ.

**Fr. 5. Photius** cod. 259 p. 485 b (Bekk.) ὁ μέντοι Σικελιώτης Καικίλιος μὴ κεχρῆσθαί φησι τὸν ῥήτορα τοῖς κατὰ τὴν διάνοιαν σχήμασιν, ἀλλὰ κατευθὺ αὐτῷ καὶ ἀπλάστως τὰς νοήσεις ἐκφέρεσθαι, τροπὴν δὲ [4]) ἐκ τοῦ πανούργου

---

[3]) Caecilio haec verba tribuo, quod alibi quoque (cf fr 15) similes orationum enumerationes Pseudoplutarchum Caecilio debere videmus, idque hoc loco eo verisimilius est, quod et ante et statim post Caecilio auctore usus est. Quae vero intercedunt inter fr. 3 et 4 de Antiphonte poëta, fortasse a recentioris rhetoris manu inserta sunt, nam Caecilio critico hanc rhetoris et poëtae confusionem imputare vel maxime dubito.

[4]) Plane eadem in excerptis ex anonymi cuiusdam arte rhetorica, quae Spengelius Rhett. gr. I p 325—28 edidit, leguntur: p. 325, 9 *ὅτι τροπὴ ἐκ τοῦ πανούργου καὶ ἐξάλλαξις οὐδεμία ἦν ἐν τοῖς ἀρχαίοις ἀλλὰ καὶ τα τοῦ νοῦ σχήματα ὀψέ ποτε εἰς τους δικανικους λογους παρεισῆλθεν· ἡ πλείων γὰρ αὐτοῖς σπουδὴ περὶ τὴν λεξιν και τον ταύτης κοσμον ἦν καὶ τὴν συνθήκην καὶ ἁρμονίαν.* Quis igitur hic Caecili verba non agnoscat? Ut vero huc venirent, ita factum esse puto. Scilicet haec excerpta, a recentiore manu in Laurentiano codice „*ἐκ τῶν Λογγίνου*“ inscripta, ex arte desumpta esse egregia quidem, sed Longino recentiore, iam Spengel. ibid. praef. p. XXIII animadvertit. Iam cum illa Caecili verba et alia quoque (cf. excerptorum N° 13 cum Photio de Lysia cod. 262

καὶ ἐνάλλαξιν οὔτε ζητῆσαι τὸν ἄνδρα οὔτε χρήσασθαι, ἀλλὰ δι' αὐτῶν δὴ τῶν νοημάτων καὶ τῆς φυσικῆς αὐτῶν ἀκολουθίας ἄγειν τὸν ἀκροατὴν πρὸς τὸ βούλημα. οἱ γὰρ πάλαι ῥήτορες ἱκανὸν αὐτοῖς ἐνόμιζον εὑρεῖν τε τὰ ἐνθυμήματα καὶ τῇ φράσει περιττῶς ἐπαγγεῖλαι. ἐσπούδαζον γὰρ τὸ ὅλον περὶ τὴν λέξιν καὶ τὸν ταύτης κόσμον, πρῶτον μὲν ὅπως εἴη σημαντικὴ καὶ εὐπρεπής, εἶτα δὲ καὶ ἐναρμόνιος ἡ τούτων σύνθεσις· ἐν τούτῳ γὰρ αὐτοῖς καὶ τὴν πρὸς τοὺς ἰδιώτας διαφορὰν ἐπὶ τὸ κρεῖττον περιγίνεσθαι. εἶτα εἰπὼν ὡς ἀσχημάτιστος εἴη κατὰ διάνοιαν ὁ τοῦ Ἀντιφῶντος λόγος, ὥσπερ ἐπιδιορθούμενος ἑαυτὸν, οὐ τοῦτο λέγω, φησὶν, ὡς οὐδὲν εὑρίσκεται διανοίας παρὰ Ἀντιφῶντι σχῆμα· καὶ γὰρ ἐρώτησίς που καὶ παράλειψις καὶ ἕτερα τοιαῦτα ἔνεισιν αὐτοῦ τοῖς λόγοις· ἀλλὰ τί φημι; ὅτι μὴ κατ' ἐπιτήδευσιν μήτε συνεχῶς ἐχρήσατο τούτοις, ἀλλ' ἔνθα ἂν ἡ φύσις αὐτὴ μεθοδείας τινὸς χωρὶς ἀπῆγεν· ὃ δὴ καὶ περὶ τοὺς τυχόντας τῶν ἰδιωτῶν ἔστιν ὁρᾶν. διὰ τοῦτο καὶ ὅταν τις ἀσχηματίστους εἶναι λέγῃ λόγους οὐ καθάπαξ οἰητέον τῶν σχημάτων αὐτοὺς ἀπεστερημένους εἶναι (τοῦτο γὰρ ἀδύνατον), ἀλλ' ὅτι τὸ ἐμμέθοδον καὶ συνεχὲς καὶ ἐῤῥωμένον τῶν σχημάτων οὐκ ἔστιν ὁρώμενον ἐν αὐτοῖς [1]).

---

p. 488ᵇ 18) cum eis Photii partibus quas non e Pseudoplut. descripsit ad verbum congruant, quidni utrumque, et Photium et qui ille excerpsit, eodem rhetoris cuiusdam scripto usos esse statuamus? Is autem rhetor Libanio quidem (quem posteriorem Photius non memoret) recentior fuisse sed et Aristidem, Longinum, Libanium, alios, et ipsum Caecilium ante oculos habuisse putandus erit; huius enim verba ipse effert. Nihil igitur mireris, quod Photium in eis quas diximus partibus inter recentiorum rhetorum aliquoties Caecili quoque verba tacite secutum esse statuemus.

[1]) Haec omnia Spengel. *συν. τεχν.* p. 10 not. 9 ad librum *περὶ σχημάτων* rettulit; falso, nam in Isaeo ad hunc locum de Antiphontis figurarum usu ipsum Caecilium respexisse opus est (cf. fr. 11).

## II. De Andocide.

Fr. 6. vit. X. orr. p. 835 A. δηλοῖ δὲ [8]) περὶ πάντων ἐν τοῖς λόγοις οἷς συγγέγραφεν· οἱ μὲν γὰρ ἀπολογουμένου περὶ τῶν μυστηρίων εἰσίν, οἱ δὲ καθόδου δεομένου. σώζεται δὲ αὐτοῦ καὶ ὁ περὶ τῆς ἐνδείξεως λόγος καὶ ἀπολογία πρὸς Φαίακα καὶ περὶ τῆς εἰρήνης.

Fr. 7. ibid. 835 B. ἔστι δὲ ἁπλοῦς καὶ ἀκατάσκευος ἐν τοῖς λόγοις ἀφελής τε καὶ ἀσχημάτιστος. [9])

## III. De Lysia.

Fr. 8. ibid. 836 A. φέρονται δὲ αὐτοῦ [10]) λόγοι τετρακόσιοι εἰκοσιπέντε· τούτων γνησίους φασὶν οἱ περὶ Διονύσιον καὶ Καικίλιον εἶναι διακοσίους τριάκοντα (vel potius διακοσίους τριάκοντα τρεῖς ut patet ex Photio), ἐν οἷς δὶς μόνον

---

[8]) Non habeo cur haec Caecilio vindicem, nisi quod analogia quaedam similium in ceteris vitis rerum hanc suspicionem suadet; quamquam certum orationum genuinarum numerum hic deesse animadvertendum est; neque vero deest propter scribarum inertiam, sed ipse scriptor eum omisit, si quidem Photius, cum cetera accurate ex his vitis describat, nihil certius hoc loco tradit.

[9]) Ἀσχημάτιστον nemo vere Andocidem dicere potuit nisi Caecilius, qui non de omnibus, sed modo de sententiarum figuris hoc accipi voluit; itaque haec Caecilio deberi certum est; quae cum Photius perverse intellexisset, ἀσχηματίστῳ σχηματιζόμενος sibi correxisse visus est; de qua Photii circumscribendi consuetudine cf. Schäfer. Ztschr. f. A. 1848 pag. 254 sq.

[10]) Ex eodem quo Pseudoplut. auctore Suidas pendere videtur qui s. v. Λυσίας haec habet λόγοι δὲ αὐτοῦ λέγονται εἶναι γνήσιοι ὑπὲρ τοὺς τ' (immo σ' scribendum cum Kustero, nam Pseudoplutarchi numerum non esse corruptum Photii consensu constat) καὶ ἕτεροι πρὸς τούτοις ἀμφιδοξούμενοι. τῷ δὲ καθαρῷ τῆς φράσεως οὐδένα ἔσχε μιμητὴν πλὴν Ἰσοκράτους. ἔγραψε δὲ καὶ τέχνας ῥητορικὰς καὶ δημηγορίας ἐγκώμιά τε καὶ ἐπιταφίους καὶ ἐπιστολὰς ζ', μίαν μὲν πραγματικὴν τὰς δὲ λοιπὰς ἐρωτικάς, ὧν αἱ πέντε πρὸς μειράκια. — Ceterum cf. epimetrum II.

ἡττῆσθαι λέγεται. ἔστι δ' αὐτοῦ καὶ ὁ ὑπὲρ τοῦ ψηφίσματος ὃ ἐγράψατο Ἀρχῖνος τὴν πολιτείαν αὐτοῦ περιελών, καὶ κατὰ τῶν τριάκοντα ἕτερος. ἐγένετο δὲ πιθανώτατος καὶ βραχύτατος τοῖς ἰδιώταις τοὺς πολλοὺς λόγους ἐκδούς. εἰσὶ δ' αὐτῷ καὶ τέχναι ῥητορικαὶ πεποιημέναι καὶ δημηγορίαι, ἐπιστολαί τε καὶ ἐγκώμια καὶ ἐπιτάφιοι καὶ ἐρωτικοὶ καὶ Σωκράτους ἀπολογία ἐστοχασμένη τῶν δικαστῶν. δοκεῖ δὲ κατὰ τὴν λέξιν εὔκολος εἶναι δυσμίμητος ὤν.

**Fr. 9.** Phot. cod 262 p. 489 b. Καικίλιος δὲ ἁμαρτάνει εὑρετικὸν μὲν τὸν ἄνδρα (scil. Λυσίαν) εἴπερ ἄλλον τινὰ συνομολογῶν, οἰκονομῆσαι δὲ τὰ εὑρεθέντα οὐχ οὕτως ἱκανόν· καὶ γὰρ κἂν τούτῳ τῷ μέρει τῆς ἀρετῆς τοῦ λόγου οὐδενὸς ὁρᾶται φαυλότερος.

**Fr. 9**[b] Hermias ad Plat. Phaedr. p. 188 Ast. ὅθεν ἀπὸ τοῦ Πλάτωνος λαβόντες οἱ κριτικοί[11]) φασι περὶ Λυσίου ὅτι τίκτειν δυνατὸς ἐγένετο, τάξαι δὲ οὔ διὰ τὸ εὑρετικὸν αὐτοῦ καὶ ἄτακτον τοῦ λόγου.

## IV. De Isocrate.

**Fr. 10.** Vit. X orr. 838 D. φέρονται δ' αὐτοῦ λόγοι ἑξήκοντα ὧν εἰσι γνήσιοι κατὰ μὲν Διονύσιον εἰκοσιπέντε, κατὰ δὲ Καικίλιον εἰκοσιοκτώ, οἱ δ' ἄλλοι κατεψευσμένοι.[12])

---

[11]) Caecilium his verbis significari iam Spengelius συν. τεχν. pag. 180 probabiliter coniecit.

[12]) In anonymi Isocratis vita, ubi spuriarum orationum viginti quinque enumerantur, (cf. Saupp. orr. Att. II pag 5[a], 25—37) cum aliquot iudicialium tituli excidisse videantur, fortasse fieri potest, ut ille numerus aut ad Dionysium aut ad Caecilium revocandus sit; sed, ut res est comparata, uter ibi auctor adhibitus sit, diiudicare non possumus. Sed Suidas et Eudocia, pag. 247, qui triginta duas orationes genuinas fuisse tradunt, ad Caecilium, nisi fallor, referendi sunt, quem totidem Isocrati abrogasse necesse est; facile enim scriba leviter Caecilium intuens genuinarum spuriarumque numerum commutare potuit.

## V. De Isaeo.

Fr. 11. ibid. 839 F. καταλέλοιπε δὲ λόγους ἑξήκοντα τέσσαρας, ὧν εἰσι γνήσιοι πεντήκοντα, καὶ ἰδίας τέχνας. πρῶτος δὲ [13]) καὶ σχηματίζειν ἤρξατο καὶ τρέπειν ἐπὶ τὸ πολιτικὸν τὴν διάνοιαν, ὃ μάλιστα μεμίμηται Δημοσθένης.

## VI. De Aeschine.

Fr. 12ª ibid. 840 B. ἀκροατὴς δὲ γενόμενος (scil. Isocrates) ὡς μέν τινες λέγουσιν Ἰσοκράτους καὶ Πλάτωνος, ὡς δὲ Καικίλιος Λεωδάμαντος κ. τ. λ.

Fr. 12ᵇ Schol. ad Aesch. fals. leg. 3. 1 ed. Turic. II. p. 26· ὅτι μαθητὴς ἐγένετο, ὡς μὲν Δημήτριος ὁ Φαληρεύς φησι Σωκράτους τοῦ φιλοσόφου [14]) εἶθ᾽ ὕστερον τοῦ Πλάτωνος· ὡς δὲ Καικίλιος καὶ Ἰδομενεὺς καὶ Ἕρμιππος ἱστοροῦσιν, οὐκ ἤκουσε τούτων τῶν ἀνδρῶν μαθήσεως χάριν. [15])

---

[13]) Quae quam bene respondeant eis quae de Antiphontis figuris exposuerat Caecilius, nemo non videt: quare huic auctori vindicanda et ita interpretanda sunt, ut de solis sententiarum figuris cogites; sed verba, ut nunc leguntur, fortasse sana non sunt; nam „πολιτικον“ quid est aliud quam quod ad orationes civiles pertinet? iam „sententias magis civili orationum generi accommodare“ quamvis habeat quo defendatur, tamen subobscurum videtur; nonne igitur melius erit scribere: *τρέπειν ἐπὶ τὸ πληκτικὸν τὴν διάνοιαν* i. e. sententias figuris ita ornare, ut auditorem magis percellant?

[14]) Isocratem Demetrius haud dubie dixit; sed error iam antiquitus ortus a multis deinde propagatus est; cf. Schäfer Ztschr. f. A. 1848 p. 264 et eiusdem Demosth. u. seine Zeit, I p. 230 not. 1.

[15]) Tertiam de Aeschinis magistro sententiam Suidas s. v. *Αἰσχ.* N° 2 et Photius cod. 61 proferunt, quorum ille *Ἀλκιδάμαντος τοῦ Ἐλαΐτου* discipulum fuisse tradit, hic *Πλάτωνος διακοῦσαι καὶ Ἀνταλκίδᾳ μαθητεῦσαι.* Et apud Photium quidem *Ἀλκιδάμαντι* Ruhnken. hist. crit. p. 63 recte videtur correxisse; at eandem cur Caecilio impertiverit in Pseudoplutarcho sententiam, nullam per-

φησὶ γὰρ κ. τ. λ. (cetera non Caecili verba sunt; nam prorsus ille contrarie de Platone iudicavit; cf. Fr. 24).

Fr. 13ᵃ vit. X orr. 840 E. φέρονται δὲ αὐτοῦ λόγοι τέσσαρες ὅ τε κατὰ Τιμάρχου καὶ ὁ τῆς παραπρεσβείας καὶ ὁ κατὰ Κτησιφῶντος, οἵ καὶ μόνοι εἰσὶ γνήσιοι. ὁ γὰρ ἐπιγραφόμενος Δηλιακὸς οὐκ ἔστιν Αἰσχίνου. ἀπεδείχθη μὲν γὰρ ἐπὶ τὴν κρίσιν τοῦ (ἀγῶνος add. Reisk) περὶ τοῦ ἱεροῦ τοῦ ἐν Δήλῳ συσταθεὶς συνήγορος, οὐ μὴν εἶπε τὸν λόγον· ἐχειροτονήθη [16]) γὰρ Ὑπερείδης ἀντ' αὐτοῦ ὥς φησι Δημοσθένης. — Cum his confer:

Fr. 13ᵇ Phot. cod. 61. φέρεται δὲ αὐτοῦ καὶ ἄλλος λόγος (praeter illos tres), ὁ Δηλιακὸς λεγόμενος (ita Saup. codd. νόμος); οὐκ ἐγκρίνει δὲ αὐτὸν ὁ Καικίλιος ἀλλ' Αἰσχίνην ἄλλον σύγχρονον τοῦδε Ἀθηναῖον τὸν πατέρα εἶναι τοῦ λόγου φησίν.

## VII. De Lycurgo.

Fr. 14. vit. X orr. 843 C. φέρονται δὲ τοῦ ῥήτορος λόγοι δεκαπέντε. ἐστεφανώθη δὲ ὑπὸ τοῦ δήμου πολλάκις καὶ εἰκόνων ἔτυχεν· ἀνάκειται δὲ αὐτοῦ χαλκῆ εἰκὼν ἐν κεραμικῷ κατὰ ψήφισμα ἐπὶ Ἀναξικράτους ἄρχοντος, ἐφ' οὗ ἔλαβε καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ [αὐτός τε ὁ Λυκοῦργος καὶ] [17]) ὁ πρεσ-

---

spicio causam; Photius enim Platonem quoque immiscens sese ipse a Caecili opinione alienum profitetur; itaque Suidam Photiumque tertium quendam auctorem, qui non ipsum Isocratem, sed Alcidamantem eius discipulum Aeschini praeceptorem adiunxerit, secutos esse statuo

[16]) Inepte hoc vocabulum posuit scriptor de Areopagi calculis cf. Demosth. cor. p. 271 §. 134.

[17]) Verba uncis inclusa aut eicienda sunt aut fortasse scribendum *Λυκόφρων* (cf. pag. 852 A. decreti ultimum); sed sequentia quoque verba *ἀποθανόντος -- δωρεᾶς* vereor ne inepte a recentiore rhetore inserta sint; nam illa ipsa Lycophronis rogatio erat, quae

βύτατος αὐτοῦ τῶν ἐκγόνων κατὰ τὸ αὐτὸ ψήφισμα· ἀποθανόντος τε Λυκούργου ὁ πρεσβύτατος τῶν παίδων Λυκόφρων ἠμφισβήτησε τῆς δωρεᾶς. εἶπε δὲ καὶ περὶ ἱερῶν πολλάκις, γραψάμενος δὲ Αὐτόλυκον τὸν Ἀρεοπαγίτην καὶ Λυσικλέα τὸν στρατηγὸν καὶ Δημάδη τὸν Δημέου καὶ Μενέσαιχμον ἄλλους τε πολλοὺς πάντας εἷλεν. —

Fr. 15. Suidas s. v. Λυκοῦργος: λόγοι δὲ αὐτοῦ γνήσιοι ιε' σωζόμενοι· κατὰ Ἀριστογείτονος· κατὰ Αὐτολύκου· κατὰ Λεωκράτους· κατὰ Λυκόφρονος β'· κατὰ Λυσικλέους· κατὰ Μενεσαίχμου· κατὰ Δημάδου· ἀπολογία πρὸς τὸν αὐτόν· ὑπὲρ τῶν εὐθυνῶν· πρὸς Ἰσχυρίαν· πρὸς τὰς μαντείας· περὶ τῆς διοικήσεως· περὶ τῆς ἱερείας· περὶ τῆς ἱερωσύνης.[18]) —

## VIII. De Demosthene.

Similem Suidas affert librum, qui singulariter περὶ Δημοσθένους ποῖοι αὐτοῦ γνήσιοι λόγοι καὶ ποῖοι νόθοι scriptus erat; itaque nonnulla eorum quae infra de orationibus genuinis et spuriis diiudicandis posita sunt facile in hoc libello tractata fuisse possunt.[19])

Fr. 16. vit. X orr. 847 E. φέρονται δὲ αὐτοῦ λόγοι γνήσιοι ἑξήκοντα πέντε.[20])

---

de alimento publico erat lata. — Ceterum haec omnia de coronis publicis, de statua, de coena in prytaneo eam solam ob causam Caecilio deberi suspicor, quod et antea et postea quaedam ex eius libro desumpta sunt; nolo igitur hoc pro certo affirmare.

[18]) Quod Pseudoplutarchi tituli cum Suidae consentiunt, hic autem quindecim enumerat, utrumque e Caecilio — totidem enim ille orationes genuinas iudicavit — pendere coniicio.

[19]) Nonnulla quae huc pertinent, cum Dindorfius Schol. ad Demosth. ed. Oxon. praef. p. XVI congesserit, eam editionem mihi parare non potui; sed in Schäferi diligentissimo libro „Demosth. u. seine Zeit“ pleraque, ni fallor, commemorata inveni.

[20]) Longe vero minorem numerum Dionysium agnovisse, quippe qui non multo amplius viginti privatarum causarum orationes De-

**Fr. 17ᵃ Schol. Dind. ad Olynth. II. init.** τοῦτον (τὸν λόγον) Διονύσιος προτάττει τῶν Ὀλυνθιακῶν ἄρχοντάς τέ τινας καταλέγων καὶ ἐκ τοῦ προοιμίου πιστούμενος ἐκ περιχαρείας ληφθέντος. Καικίλιος δὲ ἀντιλέγει πρῶτον ἀξιῶν τὸν πρῶτον νομιζόμενον.[21]) Fortasse igitur a Caecilio profecta sunt verba codicis Bav. ed. Turic. II. p. 54:

**Fr. 17ᵇ** δείκνυται δὲ ὢν δεύτερος οὗτος ὁ λόγος ἐκ τῶνδε· ἐν γὰρ τῷ πρώτῳ περὶ τῆς τῶν θεῶν εὐνοίας ἀπόδειξιν παρασχὼν ἐνταῦθα ὡς ὁμολογούμενον ἔλαβεν.

**Fr. 18 Liban. ad orat.** περὶ Ἁλονν. **pag. 75** ὁ δὲ λόγος (περὶ Ἁλ.) οὐ δοκεῖ μοι Δημοσθένους εἶναι· δηλοῖ δὲ ἡ φράσις καὶ ἡ τῆς συνθέσεως ἁρμονία, πολὺ τὸν Δημοσθενικὸν πεφευγυῖα τύπον, ἀνειμένη τε καὶ διαλελυμένη παρὰ τὴν ἰδέαν τούτου τοῦ ῥήτορος. καὶ μὴν καὶ τὸ ἐπὶ τέλει ῥηθὲν οὐ μικρὸν μαρτύριον τοῦ νόθον εἶναι τὸν λόγον, „εἴπερ ὑμεῖς τὸν ἐγκέφαλον ἐν τοῖς κροτάφοις καὶ μὴ ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον φορεῖτε“. ὁ μὲν γὰρ Δημοσθένης εἴωθε παῤῥησίᾳ χρῆσθαι, τοῦτο δὲ ὕβρις ἐστὶ καὶ λοιδορία μέτρον οὐκ ἔχουσα.

---

mostheni vindicasset (Dem. vis. cap. 13; VI 993 R.) iam Schäferus l. l. III B. pag. 315 recte animadvertit.

[21]) Cetera Schäferus recte scholiastae tribuit: *το μὲν οὖν* (Caecili si haec essent, *γαρ* scripsisset) *κατα τοὺς ἄρχοντας ἐν ἱστορίᾳ κεῖται και ἴσως οὐκ ἀκριβῆ τον ἔλεγχον ἔχει· το δὲ κατα τὸ προοίμιον ζοὐκ αὔταρκες εἰς ἀπόδειξιν.* — Similiter deinde rhetorem Calactinum Dionysio se opposuisse putat Dindorf, quod hic Philippicam I in duas orationes dividere voluerit: Schol. ad Phil. I §. 30 *ἃ μὲν ἡμεῖς*] *ἐντεῦθεν φησι Διονυσιος ὁ Ἁλικαρνασεὺς ἑτέρου λογου εἶναι ἀρχήν· προοίμιον δὲ, φησίν, οὐκ ἔχει, ἐπειδὴ δευτερολογία ἐστὶν, ἐν αἷς ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον οὐκ εἰσὶ προοίμια.* Hinc iam Caecili verba incipere vult Dindorf: *οὐ λέγει δὲ ἀληθῆ· ἐπειδὴ γαρ ἄνωθεν ὑπεσχετο περι πόρου χρηματων εἰπεῖν, νῦν τοῦτο δεικνύει* et sequentia, quae valde obscura sunt. Sed haec mera viri docti suspicio est nullis, ut iam Schäfero visum est, certis argumentis probata.

— — ὑπώπτευσαν δὲ καὶ οἱ πρεσβύτεροι[22]) τὸν λόγον ὡς οὐ τοῦ ῥήτορος, καὶ πεφωράκασί γέ τινες ὄντα Ἡγησίππου καὶ ἀπὸ τῆς ἰδέας τῶν λόγων (τοιαύτῃ γὰρ κέχρηται) καὶ ἀπὸ τῶν πραγμάτων κ.τ.λ.

Fr. 19 schol. Df. pag. 254 οὐκ ἔστιν ἄδηλον τοῖς φιλομαθέσιν ἐξ ὧν ἀνεγνώκασιν ὑπομνημάτων, ὅτι νοθεύεται ὁ ὑπὲρ τῶν πρὸς Ἀλέξανδρον συνθηκῶν καὶ νενόμισται εἶναι τοῦ Δημοσθένους ἀλλότριος ὥσπερ καὶ ὁ ζ' τῶν Φιλιππικῶν, ὃν ὑπὲρ Ἁλοννήσου τινὲς ἐπιγράφουσιν. ἀμφοτέρους[23]) γὰρ τούτους ἀναφέρουσιν εἰς Ἡγήσιππον Κρωβύλου ἐπικληθέντα.

Fr. 20 Phot. cod. 265 p. 491 b. καὶ τὸν ὑπὲρ Σατύρου δὲ λόγον τῆς ἐπιτροπῆς πρὸς Χαρίδημον οἱ μὲν πρὸς τὴν κρίσιν ἔχοντες τὸ ἀσφαλὲς Δημοσθένους λέγουσιν εἶναι, ὁ δὲ Καλλίμαχος οὐδ' ἱκανὸς ὢν κρίνειν Δεινάρχου νομίζει.[24])

[22]) Libanius ei quarto p. Chr. saeculo *πρεσβυτέρους* affert, cum Attici oratores „*παλαιοί*“ dicti sint, nonne inter Libanium et Atticos media quaedam aetas statuenda est? quae autem criticorum virorum melius quadret quam Dionysi et Caecili, quorum in eis rebus tanta apud posteros fuit auctoritas, ut eorum iudicia paene omnes tacite sequerentur (cf. comment. pag. 7). Iam vero Dionysius de Halonneso orationem quamvis a ceteris Demosthenicis valde diversam esse non ignoraret, tamen a Demosthene non abiudicavit cf. de vi Dem. cap. 9; VI 981 R.; itaque nemo eisi Caecilius eius iudicii auctor fuisse potest. Accedit quod, quae in sermone insitato et invenusto a Libanio reprehenduntur, ea valde cum Caecili sentiendi et indicandi ratione congruere videntur. Qui si hanc orationem Hegesippo tribuit, idem de septima decima iudicasse videtur, teste scholiasta fr. 19; quamquam in scholiastae verba iurare non ausim.

[23]) Iidem igitur fuerunt critici qui et hanc et illam a Demosthene abiudicarunt.

[24]) In Caecilium conveniunt cum Callimachi reprehensio eiusque iudicii confidentia (cf. commen. pag. 7), tum quod *ἔχων πρὸς τὴν*

Fr. 21 Dionys. ep. ad. Cn. Pomp. VI, 777 R. τῆς φράσεως τῶν νοημάτων [25]) τὸ μὲν κατὰ φύσιν Ἡρόδοτος ἐζήλωσε, τὸ δὲ δεινὸν Θουκυδίδης. Πασῶν ἐν λόγοις [26]) ἀρετῶν ἡ κυριωτάτη τὸ πρέπον. ταύτην ὁ Ἡρόδοτος ἀκριβοῖ μᾶλλον ἢ Θουκυδίδης. ὁμοειδὴς γὰρ οὗτος ἐν πᾶσι κἂν ταῖς δημηγορίαις μᾶλλον ἢ ταῖς διηγήσεσιν. ἐμοὶ μέντοι καὶ τῷ φιλτάτῳ Καικιλίῳ δοκεῖ τὰ ἐνθυμήματα αὐτοῦ μάλιστά γε καὶ ζηλῶσαι Δημοσθένης. [27])

---

*κρίσιν τὸ ἀσφαλὲς* dicitur; hoc enim impedit, ne Dionysium significari statuamus, quod hunc in iudicio de oratione contra Aristogitonem faciendo paullo ante maligne vellicavit in quem Photius excerpsit p. 491 a 32; non igitur fieri potest, ut eidem statim post summam laudem tribuerit; id quod iam Meierus comment. IV de Andocid. contr. Alc. or. not. 76; opusc. p. 89 animadvertit.

[25]) Vulgatam lectionem *ὀνομάτων* Reisk. variis coniecturis emendare studet, Krügerus Dionysii Historiograph. defendit, sed omnia quae ante Dionysius exposuerat ad *φράσιν ὀνομάτων* pertinebant; iam igitur ad aliud procedens periodorum constructionem et schemata significat; id quod ex loco cum toto hoc tractatu vel maxime congruente conicias: *τῶν ἀρχ. κρίσ.* V 424 R. *ῥώμῃ δὲ καὶ ἰσχύϊ καὶ τόνῳ καὶ τῷ περιττῷ καὶ πολυσχηματίστῳ παρηυδοκίμησε Θουκ.; ἡδονῇ δὲ καὶ πειθοῖ καὶ χάριτι καὶ τῷ ἀφελεῖ αὐτοφυεῖ ἀβασανίστῳ μακρῷ διενεγκόντα τὸν Ἡρόδοτον εὑρίσκομεν.* Nimirum et illa *ἀρχαίων κρίσις* et quae hic in epist. ad Cn. Pomp. exponuntur, e Dionysi libro *περὶ μιμήσεως* excerpta sunt (cf. ipsum Dionys. ep. ad Cn. Pomp. cap. III init. 766 R.)

[26]) Vulgo: *Θουκυδίδης ὁμοειδὴς πᾶς ὢν ἐν λόγοις. ἀρετῶν κτλ.* verborum distinctio quam posui probatione non eget; *ὁμοειδὴς* vero facile ex sequentibus huc irrepere potuit.

[27]) Dionysius Herodoto *τὸ κατὰ φύσιν*, Thucydidi *τὸ δεινὸν* tribuens nihil aliud significare vult quam id: Herodotus, ut ipsa natura fert, enunciatum enunciato asserit, Thucydides artificiose alia aliis implectit, ut audientium vel legentium animos attendat; id quod Demosthenes imitatus est; (plane eandem utrinsque similitudinem exponit ind. de Thuc. cap. 52) in hoc tamen, inquit, Thucydides peccat, quod semper artificioso hoc periodorum genere utitur, etiam tum cum non decet orationem.

## IX. De Hyperide.

Fr. 22 vit. X orr. 849 D: πάντων δὲ κατὰ τὴν δημηγορίαν διενεγκεῖν λέγεται, τέτακται δὲ ὑπ' ἐνίων πρὸ Δημοσθένους. φέρονται δὲ αὐτοῦ λόγοι ἑβδομήκοντα ἑπτὰ ὧν γνήσιοί εἰσι πεντήκοντα δύο.[28])

## X. De Dinarcho.

Fr. 23 ibid. 850 E φέρονται δὲ αὐτοῦ [καὶ] λόγοι γνήσιοι ἑξήκοντα τέσσαρες.[29]) τούτων ἔνιοι παραλαμβάνονται ὡς Ἀριστογείτονος. ζηλωτὴς δὲ ἐγένετο Ὑπερείδου ἢ ὥς τινες διὰ τὸ παθητικὸν Δημοσθένους καὶ τὸ σφοδρόν. τῶν σχημάτων δ' αὐτοῦ μιμητὴς ὑπάρχει.

---

### Ὑπὲρ Λυσίου σύγγραμμα.

(vel σύγκρισις Πλάτωνος καὶ Λυσίου.)

Fr. 24 Pseudolongin. περὶ ὕψ. 32, 7 ἐπὶ γὰρ τούτοις (inusitatas verborum translationes dicit) καὶ τὸν Πλάτωνα

---

[28]) Eundem numerum apud Suidam Bernhard. et Saupp. orr. Att. II p. 276 restituerunt. At priora verba non quidem certis argumentis, sed probabilitatis quadam specie ductus Caecilio vindicavi.

[29]) Dionysius contra, ex quo cetera huius vitae desumpta sunt (pauca tamen excipio), sexaginta tantum genuinas orationes enumerat, et, cum cetera simillimi sint uterque, in figurarum varietate a Demosthene Dinarchum differre putat. Itaque haec ex illo non possunt excerpta esse. — Quid vero Aristogitonis orationes ex ipsis Dinarchi genuinis iterum exceptas sibi velint non intellego; nisi id statuere velis, Caecilium spuriis quoque Dinarchi enumerantem earum aliquot Aristogitoni vindicasse; tum scriptoris neglegentia aliquid excidisse, quod ita fere restituendum sit: *φέρονται δὲ αὐτοῦ λογ. γν. ἑξ. τεσσ. καὶ κατεψευσμενοι* (sequitur numerus)· *τουτων ἔνιοι κτλ.*

οὐχ ἥκιστα διασύρουσι, πολλάκις ὥσπερ ὑπὸ βακχείας τινὸς τῶν λόγων εἰς ἀκράτους καὶ ἀπηνεῖς μεταφορὰς καὶ εἰς ἀλληγορικὸν στόμφον ἐκφερόμενον „οὐ γὰρ ῥάδιον ἐπινοεῖν, φησὶν (legg. VI 773), ὅτι πόλιν εἶναι δεῖ δίκην κρατῆρος κεκραμένην, οὗ μαινόμενος μὲν οἶνος ἐγκεχυμένος ζεῖ, κολαζόμενος δὲ ὑπὸ νήφοντος ἑτέρου θεοῦ καλὴν κοινωνίαν λαβὼν ἀγαθὸν πόμα καὶ μέτριον ἀπεργάζεται.“ νήφοντα γὰρ φασι θεὸν τὸ ὕδωρ λέγειν, κόλασιν δὲ κρᾶσιν, ποιητοῦ τινος τῷ ὄντι, οὐχὶ νήφοντός ἐστι. 8. τοῖς τοιούτοις ἐλαττώμασιν ἐπιχειρῶν ὅμως αὐτὸ καὶ ὁ Καικίλιος ἐν τοῖς ὑπὲρ Λυσίου συγγράμμασιν ἀπεθάρρησε τῷ παντὶ Λυσίαν ἀμείνω Πλάτωνος ἀποφήνασθαι δυσὶ πάθεσι χρησάμενος ἀκρίτοις· φιλῶν γὰρ τὸν Λυσίαν ὡς οὐδ' αὐτὸς αὑτόν, ὅμως μᾶλλον μισεῖ τῷ παντὶ Πλάτωνα ἢ Λυσίαν φιλεῖ. πλὴν οὗτος μὲν ὑπὸ φιλονεικίας οὐδὲ τὰ θέματα ὁμολογούμενα καθάπερ ᾠήθη·[20]) ὡς γὰρ ἀναμάρτητον καὶ καθαρὸν τὸν ῥήτορα προφέρει πολλαχῇ διημαρτημένου τοῦ Πλάτωνος· τὸ δ' ἦν ἄρα οὐχὶ τοιοῦτον, οὐδὲ ὀλίγου δεῖν.

---

### Ἐκλογὴ λέξεων κατὰ στοιχεῖον.

**Fr. 25.** Harpocr. s. v. ἐξούλης· — ὅτι δὲ ἐπὶ παντὸς τοῦ ἐκ τῶν ἰδίων ἐκβαλλομένου τάττεται τοὔνομα καὶ οὐχ ὡς οἴεται Καικίλιος μόνων τῶν ἐκ καταδίκης ὀφειλόντων, καὶ Φρύνιχος ἐν Ποαστρίαις δῆλον ποιεῖ.

**Fr. 26** lexicogr. ad calcem Photii p. 476 Dobr. προβολὴ μὲν φανεροῦ τινος [ἀδικήματος, φάσις δὲ] λανθάνοντος

[20]) Verba corrupta, sed sententia haec: „Caecili, inquit, iudicium falsis nititur fundamentis, quod puro sermoni plurima tribuit in scriptoribus iudicandis; nam quamvis Lysias in ea re nunquam peccaret, tamen antea quaerendum fuit, an ob magnitudinem animi Plato ei praeferendus esset (id quod deinde cpp 33 34 auctor ipse disceptat); sed ne illud quidem concedo: Lysias etiam minus puro sermone utitur quam Plato (cf. 35 init. *ἐπὶ μέντοι κτλ.*).

μήνυσις Κεκίλιος δὲ [φασιν] φησὶν εἶναι ἣν κατὰ τῶν [τὰ] δημόσια μέταλλα ὑπορυττόντων ἀποφέρουσι καὶ καθόλου [κατὰ] τῶν τὰ κοινὰ κλεπτόντων.

Fr. 27. idem pag. 667 εἰσαγγελία κατὰ κοινῶν καὶ ἀγράφων ἀδικημάτων· αὕτη μὲν οὖν ἡ Καικιλίου δόξα. Θεόφραστος δὲ κ. τ. λ.

Fr. 28 Ammonius s. v. θεωρός: θεωρὸς καὶ θεατὴς διαφέρει, θεωρὸς μὲν γάρ ἐστιν ὁ εἰς θεοὺς πεμπόμενος, θεατὴς δὲ ὁ ἀγώνων καὶ θεάτρων. — — διαστέλλει οὖν τοῦτο ἐπιμελῶς Λυσιμαχίδης ἐν τῷ πρὸς Καικίλιον περὶ τῶν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ῥητόρων[31]) καὶ πολλῶν παραθέσεις ποιεῖται. καὶ ἔστι τὸ θεάσασθαι ὥσπερ πρόκειται παρὰ τὴν θέαν, τὸ δὲ θεωρεῖν, φησίν, οὐκ ἄλλο τι ἢ τὸ τῶν θεῶν ὡρεῖν, τοῦτο δὲ τὸ φροντίζειν. — καὶ τὸ τοῖς Ἀθηναίοις διδόμενον θεωρικὸν οὐχὶ διὰ τὰς θέας (ὡς Καικίλιος ὑπέλαβεν) ἀλλὰ διὰ τὸ ἐν ταῖς ἑορταῖς εἰς τοὺς θεοὺς εὐσεβεῖν καὶ ἐπιθεῖν (ἐπιθύειν coni. Valck.) καὶ εὐφραίνεσθαι.

[31]) Lysimachidem Müllerus frgm. hist gr. III pag 334 falso cum Lysimacho Nostou auctore confudisse videtur, nam Harpocrat. ibid frgm 21—23 et schol. Soph. ibid. frgm. 24 semper diserte Lysimachidem vocant. Huius autem liber, si quid video, non Caecilii de decem oratoribus scripto, (id quod omnes adhuc qui de hac re locuti sunt supposuerunt) sed huic ipsi vocabulorum delectui oppositus erat; si quidem Caecili interpretationem *θεωρικον* vocis recte ad eundem libellum quo *ἐξούλης, φασις, εἰσαγγελία* referimus. — Ceterum Lysimachidei commentarii titulum verisimillime Maur. Herm. Meierus Opusc. pag. 123 restituisse mihi videtur: *περὶ τῶν ἰδίων τῶν* (vel: *ζητουμένων τῶν*) *παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ῥήτορσιν*; fortasse quoque sic: *περὶ τῶν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ῥήτορσιν ὀνομάτων*. —

## Περὶ σχημάτων.

### I. sententiarum figurae.

Fr. 29. Tiberius περὶ σχημ. Walz. rhett. gr. VIII. p. 571 Speng. rhett. gr. III, 79 τὴν δὲ διατύπωσιν παρῆκεν Ἀψίνης, Καικίλιος δὲ ἔθηκεν ἐν τοῖς τῆς διανοίας σχήμασιν. ἡ δὲ διατύπωσις ὁτὲ μὲν ὑπομιμνήσκει τῶν γεγενημένων ἐνεργειῶν καὶ ἑκάστων ἐξαριθμουμένων τῶν μερῶν (exemplum Dem. de cor. §. 168 sq.): καὶ πάλιν ἡ διατύπωσις ἐπὶ τὴν θέαν ἄγει τῶν οὐχ ἑωραμένων ὡς παρ' Αἰσχίνῃ πολλὰ ἂν εὕροι τις· τρίτος ὅρος διατυπώσεως ὅταν τὰ μὴ γεγονότα διατυπούμενοι εἰσάγωμεν καθ' ὑπόθεσιν, οἷον τί ἂν ἐγένετο, καὶ τί ἂν ἐπράχθη, ὡς δεινὰ καὶ φοβερά.

Fr. 30 ibid. τὸ δὲ διασυρμοῦ σχῆμα παρῆκεν Ἀψίνης, Καικίλιος δὲ αὐτὸ ἐνέθηκε. τοῦτο δέ ἐστι τὰ μεγάλα μικρὰ ποιῆσαι καὶ ἐξευτελίσαι (exempla Dem. de cor. §. 28 ἀλλ' ἐν τοῖν δυοῖν ὀβολοῖν κ. τ. λ. §. 232 πάνυ γε, οὐ γὰρ παρὰ τοῦτο εὐχερῆ γέγονε τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα κ. τ. λ. Accuratius Phoebammo Walz. VIII, pag. 513 eandem rem ita definit, ut sit derisio eorum quae adversarius quasi summi essent momenti in accusando maxime extulit; quae definitio cum Caecili exemplis quidem plane convenit.

### II. Verborum figurae.

Fr. 31. Tiber. ibid. p. 573 sq. [22]) ἐπάνοδος, reversio quaedam eorundem verborum, quam nos „epexegesin“ dicimus.

---

[22]) Quaecunque ab hoc loco usque ad finem Tiberius explicat, ea omnia e Caecilio desumpta sunt; itaque lectorem ad hunc librum relectum volo, brevissime summam earum rerum faciens.

Fr. 32 ἀφαίρεσις; non liquet, quid hoc vocabulo significetur; λέξεως quidem ἀφαίρεσιν videtur Caecilius statuisse in his verborum formis ἐφθάραται et τετάχαται quae apud Thuc. III, 13, 4 leguntur.

Fr. 33 ἀλλοίωσις ὀνομάτων, προσώπων, χρόνων (accedit fortasse παθῶν, si quidem Alexander περὶ σχ. pag. 471 sqq. eodem quo Tiberius auctore usus est); exempla afferuntur Thucydidea, Demosthenica, Eupolidea, Euripidea.

Fr. 34 παρεμβολή: verba inter orationis continuationem interiecta; exempla ex Thucydide, Herodoto, Euripide.

Fr. 35 Quintil. IX, 3, 38 hanc rerum coniunctam diversitatem Caecilius μεταβολὴν vocat, qualis est pro Cluentio locus in Oppianicum (cap. 14, §. 41): illam tabulas publicas — corrupisse — cum illo iam nemo rationem — contrahebat; nemo illum —, nemo —, omnes aspernabantur, omnes abhorrebant etc. [33])

Fr. 36 Quint. IX, 3, 91 verborum autem concinna transgressio, id est hyperbaton, quod Caecilius quoque putat schema, a nobis est inter tropos posita. [34])

---

[33]) Ex hoc exemplo divinari licet, quidnam Caecilius voluerit; nam huius graecum exemplum latino simillimum fuisse necesse est.

[34]) Ad Caecilium igitur respicere videtur Quintil. IX, 3, 23 „illa quoque ex eodem genere possunt videri: unum quod interpositionem vel interclusionem dicimus, Graeci παρένθεσιν, παρέμπτωσιν vocant (an Caecili παρεμβολὴν significat?), dum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit — cui adiciunt hyperbaton, quod inter tropos esse noluerunt“ etc. cf. Alexandrum pag. 483 s. v. παρεμβολή huius et hyperbati figurarum similitudinem et discrepantiam exponentem; qui cum ad παρεμβ. idem

**Fr. 37ª Tib. pag.** 554 τὴν μέντοι ἐπανάληψιν παλιλλογίαν Καικίλιος ὀνομάζει, οἷον μιαρὸν, μιαρὸν τὸ ϑηρίον Dem. Aristog. I, §. 58 καὶ πονηρὸν, πονηρὸν ὁ συκοφάντης, καὶ ὦ τέκνα, τέκνα Soph. Oed. Col. 1457 καὶ ὦ γάμοι, γάμοι id. Oed. R. 1403.

**Fr. 37ᵇ Alexander pag.** 463 τοῦτο τὸ σχῆμα ὁ μὲν Καικίλιος (codd. Καρκῖνος) παλιλλογίαν καλεῖ, ἔνιοι δὲ ἀναδίπλωσιν, οἱ δὲ ἐπανάληψιν, φαίνεται δὲ ὅτε μὲν ῥῆμα ἐπαλλήλως ἐντιϑέντων ἡμῶν, ὡς ἔχει τὸ τοιοῦτον μιαρὸν, μιαρὸν ϑηρίον ὦ ἄνδρες Ἀϑηναῖοι, καὶ πάλιν.[35]) —

**Fr. 38ª Tib. pag.** 563 συνωνυμίαν ὀνομάζει τὸ σχῆμα (scil. πλεονασμὸν) Καικίλιος, ὅταν κατὰ τοῦ αὐτοῦ πράγματος ἢ (ὡς Finckh) κατὰ τοῦ προκειμένου δύο λέξεις γενηϑῶσι· τοῦτο δὲ πλεονασμὸν ὀνομάζει Ἀψίνης, „τότε δὴ καὶ κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον“. ϑάτερον γὰρ τούτων εἰπεῖν ἐξήρκει.

**Fr. 38ᵇ Alex. pag.** 465 συνωνυμία δέ ἐστιν, ὅταν τῷ χαρακτῆρι διαφόροις ὀνόμασι, τῇ δυνάμει δὲ τὸ αὐτὸ δηλοῦσι χρώμεϑα πλείοσιν, ἓν μὲν καὶ τὸ αὐτὸ βουλόμενοι δηλοῦν, ὡς καὶ Δημοσϑένης (pag. 153 πρὸς τὴν ἐπιστ. τὴν Φιλ §. 3) „καὶ γινώσκεται μὲν ὑπὸ τῶν Περινϑίων — οὐκ ἀγνοεῖται δὲ“ κ. τ. λ. idem exemplum inter alia Tiberius affert.

**Fr. 39 Quint. IX, 3, 45:** hoc Caecilio πλεονασμὸς videtur, id est abundans super necessitatem oratio, sicut illa: „vidi oculos ante ipse meos.“[36]) In illo enim „vidi“ inest „ipse“. Verum id — cum supervacua oneratur ad-

---

quod Caecilius exemplum afferat, fortasse et ὑπερβατ. et παρεμβ. ex hoc rhetore desumpsit.

[35]) Quae sequuntur aut corrupta aut falso huc delata sunt.

[36]) Cf. Alexand. pag. 469 cuius definitio et exempla plane cum his consentiunt

Digitized by Google

iectiona, vitium est; cum anget aut manifestat sententiam, sicut hic, virtus. „Vidi" „ipse" „ante oculos", totidem sunt affectus. Cur tamen haec proprie nomine tali notarit, non video. Nam et geminatio et repetitio et qualiscunque adiectio πλεονασμὸς videri potest.

Fr. 40 Quint. IX, 3, 97 adicit bis Caecilius περίφρασιν de qua dixi (cf. VIII, 6, 59 ubi ita definit: pluribus verbis cum id quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur.

## III. Quid sit schema.

Fr. 41 Phoebamm. π. σχημ. Walz. VIII, 494 Speng. III, 44: ὁρίζεται δὲ Ζωΐλος οὕτως· σχῆμά ἐστιν ἕτερον μὲν προσποιεῖσθαι, ἕτερον δὲ λέγειν. τρία (?) ἁμαρτάνει, ὅτι οὐ περιλαμβάνει περὶ πάντων τῶν σχημάτων. τὰ γὰρ πλεῖστα ἐκ τοῦ εὐθέος καὶ ἁπλοῦ σχηματίζεται ὡς ὅτε ἀποφαινόμεθά τι ἢ διαπορούμεν τι καθ' ἑαυτοὺς ἢ ἀποστροφῇ χρώμεθα ἄνευ προσποιήσεως. Καικίλιος δὲ ὁ Καλακτίτης (codd. καλανδίτης) ὡρίσατο οὕτω· σχῆμά ἐστι τροπὴ εἰς τὸ μὴ κατὰ φύσιν τὸ τῆς διανοίας καὶ λέξεως. τὸ οὖν μὴ κατὰ φύσιν οὐ καλόν, τὸ δὲ μὴ καλὸν τροπή ἐστιν ἐπὶ τὸ χεῖρον.

Fr. 42. Quint. IX, 1, 10 sq. quare illo intellectu priore et communi nihil non figuratum est. Quo si contenti sumus, non immerito Apollodorus, si tradenti Caecilio credimus, incomprehensibilia partis huius praecepta existimarit. Sed si habitus quidam et quasi gestus sic appellandi sunt: id demum hoc loco accipi schema oportebit, quod sit a simplici atque in promptu posito dicendi modo poetice vel oratorie mutatum. Sic enim verum erit, aliam esse orationem ἀσχη-

*μάτιστον*, id est oarentem figuris,[37]) quod vitium non inter minima ast; aliam *ἐσχηματισμένην*, id est figuratam. **Id ipsum tamen anguste Zoilas tarminavit,**[38]) qui id solum putavarit schema, quo aliud simulatur dici quam dicitur, quod sana vulgu quoque sic accipi scio; unde et „figuratae controversiae" quaedam, de quibus paulo post dicam, vocantur. Ergo figura sit: **arta aliqua novata forma dicendi.**

---

Περὶ ὕψους.

Fr. 43. Pseudolongiu π. ὕψ. init. τὸ μὲν τοῦ Καικιλίου συγγραμμάτιον, ὃ περὶ ὕψους συνετάξατο, ἀνασκοπουμένοις ἡμῖν ὡς οἶσθα κοινῇ, Ποστούμιε Τερεντιανὲ φίλτατε, ταπεινότερον ἐφάνη τῆς ὅλης ὑποθέσεως καὶ ἥκιστα τῶν καιρίων ἐφαπτόμενον, οὐ πολλήν τε ὠφέλειαν — περιποιοῦν τοῖς ἐντυγχάνουσιν, εἴ γ' ἐπὶ πάσης τεχνολογίας δυεῖν ἀπαιτουμένων, προτέρου μὲν τοῦ δεῖξαι, τί τὸ ὑποκείμενον, δευτέρου δὲ τῇ τάξει, τῃ δυνάμει δὲ κυριωτέρου, πῶς ἂν ἡμῖν αὐτὸ τοῦτο καὶ δι' ὧν τινων μεθόδων κτητὸν γένοιτο, ὅμως ὁ Καικίλιος ποῖον μέν τι ὑπάρχει τὸ ὑψηλὸν διὰ μυρίων ὅσων ὡς ἀγνοοῦσι πειρᾶται δεικνύναι, τὸ δὲ δι' ὅτου τρόπου τὰς ἑαυτῶν φύσεις προάγειν ἰσχύοιμεν ἂν εἰς ποσὴν μεγέθους ἐπίδοσιν, οὐκ οἶδ' ὅπως ὡς οὐκ ἀναγκαῖον παρέλιπεν· πλὴν ἴσως τουτονὶ μὲν τὸν ἄνδρα οὐχ οὕτως αἰτιᾶσθαι τῶν ἐκλελειμμένων ὡς αὐτῆς τῆς ἐπινοίας καὶ σπουδῆς ἄξιον ἐπαινεῖν.

Fr. 44 ibid. cap. 8, 1 ἐπεὶ δὲ πέντε, ὡς ἂν εἴποι τις,

---

[37]) Quam sententiam Caecilius in Antiphonte quoque exponit cf. frgm 5; ceterum de hac duplici schematis vi vide Alexandrum pag. 427 sqq. praecipue disserentem, qui ipse fortasse e Caecilio talia hausit.

[38]) Cf supra Phoebammonis verba.

πηγαί τινές εἰσιν αἱ τῆς ὑψηγορίας γονιμώταται — πρῶτον μὲν καὶ κράτιστον τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολον, ὡς κἀν τοῖς περὶ Ξενοφῶντος ὡρισάμεθα, δεύτερον δὲ τὸ σφοδρὸν καὶ ἐνθουσιαστικὸν πάθος — ἥ τε ποιὰ τῶν σχημάτων πλάσις (δισσὰ δέ που ταῦτα τὰ μὲν νοήσεως, θάτερα δὲ λέξεως) ἐπὶ δὲ τούτοις ἡ γενναία φράσις, ἧς μέρη πάλιν ὀνομάτων τε ἐκλογὴ καὶ ἡ τροπικὴ καὶ πεποιημένη λέξις· πέμπτη δὲ μεγέθους αἰτία καὶ συγκλείουσα τὰ πρὸ ἑαυτῆς ἅπαντα, ἡ ἐν ἀξιώματι καὶ διάρσει σύνθεσις· φέρε δὴ τὰ ἐμπεριεχόμενα καθ᾽ ἑκάστην ἰδέαν τούτων ἐπισκεψώμεθα, τοσοῦτον προειπόντες, ὅτι τῶν πέντε μορίων ὁ Καικίλιος ἔστιν ἃ παρέλιπεν, ὡς καὶ τὸ πάθος ἀμέλει. 2. ἀλλ᾽ εἰ μὲν ὡς ἕν τι τοῦτ᾽ ἄμφω, τό τε ὕψος καὶ τὸ παθητικὸν, καὶ ἔδοξεν αὐτῷ πάντη συνυπάρχειν τε ἀλλήλοις καὶ συμπεφυκέναι, διαμαρτάνει· καὶ γὰρ — — 4. εἰ δ᾽ αὖ πάλιν ἐξ ὅλου μὴ ἐνόμισεν ὁ Καικίλιος τὸ ἐμπαθὲς [89]) τὰ ὕψη ποτὲ συντελεῖν, καὶ διὰ τοῦτ᾽ οὐχ ἡγήσατο μνήμης ἄξιον, πάνυ διηπάτηται κ. τ. λ.

Fr. 45 ibid. cap. 4 θατέρου δὲ ὧν εἴπομεν, λέγω δὲ τοῦ ψυχροῦ, πλήρης ὁ Τίμαιος, ἀνὴρ τὰ μὲν ἄλλα ἱκανὸς — πλὴν ἀλλοτρίων μὲν ἐλεγκτικώτατος ἁμαρτημάτων, ἀνεπαίσθητος δὲ ἰδίων, ὑπὸ δὲ ἔρωτος τοῦ ξένας νοήσεις ἀεὶ κινεῖν πολλάκις ἐκπίπτων εἰς τὸ παιδαριωδέστατον. παραθήσομαι δὲ τἀνδρὸς ἓν ἢ δύο, ἐπειδὴ τὰ πλείω προέλαβεν ὁ Καικίλιος.

Fr. 46 ibid. cap. 31 ταύτῃ καὶ τὸ τοῦ Θεοπόμπου — διὰ τὸ ἀνάλογον ἔμοιγε σημαντικώτατα ἔχειν δοκεῖ, ὅ περ ὁ Καικίλιος οὐκ οἶδ᾽ ὅπως καταμέμφεται. „δεινὸς ὤν, φησίν, ὁ Φίλιππος ἀναγκοφαγῆσαι πράγματα“. ἔστιν ἄρ᾽ ὁ ἰδιωτισμὸς ἐνίοτε τοῦ κόσμου παρὰ πολὺ ἐμφανιστικώτερον κ. τ. λ.

[89]) Videtur legendum esse *εἰς τὰ ὕψη — συντελεῖν.*

Fr. 47 ibid. cap. 32 περὶ δὲ πλήθους τῶν (codd. καὶ) μεταφορῶν ὁ μὲν Καικίλιος ἔοικε συγκατατίθεσθαι τοῖς δύο ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς ἐπὶ ταὐτοῦ νομοθετοῦσι τάττεσθαι. ὁ τῆς χρείας δὲ καιρός, ἔνθα τὰ πάθη χειμάρρου δίκην ἐλαύνεται, καὶ τὴν πολυπλήθειαν αὐτῶν ὡς ἀναγκαίαν ἐνταῦθα συνεφέλκεται κ. τ. λ.

---

## Ars rhetorica.[40])

Fr. 48 schol. in Hermog. στάσ. Walz. IV. p. 59: ἐπειδὴ δὲ τὸ τῆς διαιρέσεως ὄνομα πολλαῖς ῥητορικαῖς ἁρμόττει τέχναις, ταῖς τε περὶ τῶν εἰδῶν τῆς ῥητορικῆς διαλαμβανούσαις καὶ ταῖς περὶ τῶν μερῶν τοῦ πολιτικοῦ λόγου καὶ ταῖς περὶ τῶν μεθόδων αἳ γυμνάζουσιν ἡμᾶς εἰς τὰ μέρη τοῦ πολιτικοῦ λόγου,[41]) οἵας δὴ γεγράφασιν Ἀριστοτέλης καὶ Ἀψίνης καὶ Κεκίλιος καὶ μύριοι ἕτεροι διδασκαλικῶς πάνυ κ. τ. λ.

Fr. 49 Quint. III, 6, 46 fecerunt alii totidem status sed alios, An sit? Quid sit? Quale sit? Quantum sit? ut Caecilius et Theon.

Fr. 50 id. V, 10, 17 ἀπόδειξις est evidens probatio ideoque apud geometras γραμμικαὶ ἀποδείξεις dicuntur. Hanc et ab epichiremate Caecilius putat differre solo genere conclusionis et esse apodixin imperfectum epichirema eadem causa qua diximus enthymema syllogismo distare.

---

[40]) Ad hunc librum Quintil. quoque respicit III, 1, 16 Caecilium inter artium scriptores enumerans.

[41]) Primum artium genus Aristotelis (sive potius Anaximenis cf. Speng. συν. τεχν. pag. 184 sq.) libro, alterum Apsinis (Speng. rhet. gr. I pag. 331—414 edito) convenit; consentaneum igitur est tertium in Caecili artem quadrare.

### Περὶ ἱστορίας.

Fr. 51 Athen. XI p. 466 A. Καικίλιος δ' ὁ ῥήτωρ ὁ ἀπὸ Καλῆς ἀκτῆς ἐν τῷ περὶ ἱστορίας Ἀγαθοκλέα φησὶ τὸν τύραννον ἐκπώματα χρυσᾶ ἐπιδεικνύντα τοῖς ἑταίροις φάσκειν ἐξ ὧν ἐκεράμευσε κατεσκευακέναι ταῦτα.

---

### Σύγκρισις Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος.[43]

Fr. 52. Plut. vit. Demosth. cap. 3 Διὸ καὶ γράφοντες ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ — περὶ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος ἀπὸ τῶν πράξεων καὶ τῶν πολιτειῶν τὰς φύσεις αὐτῶν καὶ τὰς διαθέσεις ἐπισκεψόμεθα· τὸ δὲ τοὺς λόγους ἀντεξετάζειν καὶ ἀποφαίνεσθαι, πότερος ἡδίων ἢ δεινότερος εἰπεῖν ἐάσομεν. Κάκεῖ, γάρ, ὥς φησιν ὁ Ἴων, δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία· ἣν ὁ περιττὸς ἐν ἅπασι Καικίλιος ἀγνοήσας ἐνεανιεύσατο σύγκρισιν τοῦ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος ἐξενεγκεῖν. Ἀλλὰ γὰρ ἴσως εἰ παντὸς ἦν τὸ Γνῶθι σαυτὸν ἔχειν πρόχειρον, οὐκ ἂν ἐδόκει πρόσταγμα θεῖον εἶναι.

---

[43]) Liber a Suida quoque affertur s. v. *Καικίλιος*.

## Epimetrum I.

### Quae ratio intersit inter Pseudoplutarchi vitas X orat. et Caecili de oratoribus librum.

De Plutarchi, quae olim ferebantur, vitis X oratorum postquam Westermannus in praefatione ad editionem huius libri pag. 1—22 et deinde in Quaestionibus Demosthenicis part. IV pag. 56—71 accurate disseruit, nec minus Arnoldus Schäferus in propria commentatione Dresdae anno 1844 edita (quam quod mihi parare non potui vehementer doleo; summatim tamen sententiam suam iterum exposuit auctor in annalibus antiquitatis 1848 pag. 265): ex utriusque viri quaestionibus certum est duas esse partes cuiusque vitae: prima ab auctore continuo scripta est, oratoris vitam breviter adumbrans; altera pars nihil continui habet, sed accessiones sunt quaedam ex diversis auctoribus excerptae, quibus priora illa modo augeantur, modo corrigantur, modo aliqua omnino ratione varientur. Totum deinde opus quod ipsius Plutarchi collectanea esse statuit Westermannus, accessiones quoque ab eo ipso diversis temporibus adscriptas sibi finxit; quod Plutarchi patrocinium postea dimisisse videtur. Schäferus adumbrationem illam vitae a scriptore quodam Dionysio Halicarnasseo non multo

recentiore (nam hunc saepe verbo tenus descripsit) confectam, cetera diversis temporibus a diversis manibus modo ad marginem adscripta modo infra adiecta esse probabiliter suspicatur; unde lacunas dicit et corruptelas gravissimas saepius ortas esse, sed nihil animadverti manus omnia retractantis et denuo elaborantis; singula enim aut abrupta aut una particula δὲ satis nude esse conexa. — Iam de scriptore utcunque iudicamus, illud solum ad nostrum propositum pertinet: et duas esse partes cuiusque vitae, et secundam partem, quas dicimus accessiones, ex aliis scriptoribus esse congestam. Nostrum igitur erit: primum quibus verbis prior pars concludi et accessiones incipere videantur definire, tum ubi hic, ubi illic Caecilius sive nominatim sive tacite auctor adhibitus sit quaerere.

Quod igitur prius illud attinet, Westermannus (Quaest. Dem. IV pag. 61) accessionum initium esse dicit: in Antiphonte pag. 833 B inde a verbis φέρονται δὲ; in Andoc. 835 A a verbis καὶ ἤκμακε; in Lys. 836 B inde a Δημοσθένης δ' ἐν τῷ κατὰ Νεαίρας; Isocr. 838 A εὐπόρησεν ἱκανῶς; Aesch. 840 E ἀπήγγειλε δὲ; Lyc. 842 E τὸ μέγιστον χίλια etc.; Demosth. pag. 847 B ἡνίκα δὲ Φίλιππος; Hyperid. 849 D ἐγένετο δὲ καὶ πρὸς τὰ ἀφροδίσια καταφερής. Isaeum Dinarchumque integros prioris illius manus esse censet. His autem locis confinia designat vir doctus, quod quae antea leguntur plerumque uno tenore procedunt; nam nihil fere nisi vita ex temporum ordine narratur, adiectis quibusdam de cognatis, sepulcris, statuis; quae vero postea leguntur, turbata, per saturam mixta sunt, saepe eisdem fere verbis repetitis, quae iam supra posita erant. Et haec

quidem Westermannus. At ea hoc solum probant, accessionum initia non magis infra statuenda esse; sunt vero etiam ante hos Westermanni terminos, quae, quod in priore parte desiderari possunt, si aliis causis cogimur, ab illa prima vitae adumbratione secernere et in accessiones referre debemus. Quod ut faciamus haec mihi causa esse videtur: in unoquoque istorum commentariorum postquam vita oratoris narrata est, orationes et alia scripta spuria et genuina disertis numeris (hi tamen in Andocide desunt) enumerantur; idque semper eodem fere loco, eisdem fere verbis fit: φέρονται δ' αὐτοῦ κτλ. Quae argumenti et verborum similitudo probabiliter docet ex uno eodemque scriptore, qui talia inquisiverit, haec excripta esse; qui autem semel talia excerpsit, ab eodem quae in ceteris vitis similia leguntur excerpta esse putanda sunt; itaque illa omnia aut ad priorem partem aut ad accessiones pertinent. Iam cum in Isocrate, Lycurgo, Demosthene inter accessiones leguntur, semper huc transferenda sunt. Quare cetera quidem Westermanni sententiam secutus, in Lysia pag. 836 A inde a verbis φέρονται δὲ αὐτοῦ, in Isaeo 839 F inde a: καταλέλοιπε δὲ, in Aeschine 840 D inde a φέρονται δὲ, in Hyperide 849 D non post verba φέρονται δὲ, in Dinarcho pag. 850 E inde a φέρονται δὲ alterius, quam dixi, partis initia pono; in Andocide ubi ponam dubius haereo.

Sed iam de auctoribus, quibus uterque et qui vitam scripsit et qui cetera congessit usi sint, quantum ad rem propositam pertinet, dicamus; et primum quidem de eis quibus vitae scriptor. Dionysium et Caecilium eorum qui nominentur recentissimos esse,

et ex ille quidem Isaeum et Dinarchum maximam partem ad verbum descriptos esse iam alii recte animadvorterunt. Sed Caecilius quoque bis affertur in Antiph. et Aesch. de utriusque dicendi magistro aliquid suspicans. Et saepius eundem Caecilium adhibitum esse inde facile coniciaa, quod praeter Caecili librum, si revera paullo postea hic libellus ortus est, nulla vel pauca tum temporis alia scripta de universis decem oratoribus erant edita. Addo etiam Didymi grammatici de decem oratoribus commentarios huic scriptori ignotos fuisse videri, quod ille Hermogene περὶ ἰδεῶν II, 11 (Walz. vol. III, 385) auctore diversos Antiphontes diserte secreverat, noster vitae scriptor plures confudit. Sed praeter duo illa commemorata, quae Caecilio debeat, omnino reticuit neque nobis probabiliter coniciondi ansam reliquit (cf. tamen fr. 1 not. 4).

Alia deinde accessionum ratio est, ubi saepius aut Caecilium allatum videmus aut tacite descriptum demonstrare possumus. Ne longus sim, quaecunque de orationum spuriarum aut genuinarum numero et ibidem saepe de oratorum genere dicendi iudicantur, ea omnia ad rhetorem nostrum referenda puto. Haec quidem omnia ex uno libro excerpta esse iam supra conieci nec dubito Caecili illum librum fuisse contendere; is enim in Antiphonte, Lysia, Isocrate eius rei auctor nominatur, in Aeschine et Isaeo aliis testimoniis revera esse nobis demonstratus est. Quid enim mirum? Qui has notas vitis adscripsit forte ne potuit quidem ab aliis quam a Dionysio et Caecilio talia sumere, quippe qui primi essent qui talia accuratius perscrutarentur, ut cum ex Dionysi de Lysia, Isocrate,

Isaeo, tum maxime de Dinarcho iudicio perspicere licet. Quidni vero, dicat aliquis, Dionysium, quem una cum Caecilio affert auctor in Lysia et Isocrate (fr. 8. 10), earum rerum auctorem vocas? Primum, quod ille non de cunctis decem oratoribus scripserat; deinde quod, ut sunt plura quae Caecilio faveant, ita etiam non nulla, quae contra Dionysium pugnent, de quibus alibi singulatim disputavimus (cf. supra not. 20. 29; epimetr. II). Itaque ubi uterque nominatur, qui haec excarpsit apud Caecilium Dionysium allatum invenisse statuendus est.

## Epimetrum II.

### De Caecilio loci vit. X orr. 836 A auctore.

Quae eo loco (supra fr. 8) exponuntur de Lysiae scriptis, omnia non temere collata esse sed vestigia quaedam ferre videntur pristini cuiusdam rerum conexus, qui veloci excarptoris manu admodum obscuratus est. Eum autem conexum hunc esse statuo. Primum auctor postquam orationum genuinarum numerum posuit, earum non nullas et cetera Lysiae scripta affert simul de genere dicendi quaedam adnotans. Iam autem duarum tantum orationum titulos recensuit, nimirum earum quas Lysias ipse habuisse videhatur, ut Sauppius Or. Att. V pag. 81 recte suspicatus est (id quod de Eratosthenica certum; de illa contra Archinum verisimile quidem; nam ipsius Lysiae ea causa erat); ceteras vero (τοὺς πολλοὺς) iudiciales orationes, quas

aliis scripsit, illis prioribus opponere videtur. Inter ea autem scripta, quae deinceps nominat, cum iudiciales orationes ne verbo quidem attingat, non omnia quae Lysias scripsit memorare voluit, sed ea sola quae ad scholarum usum et delicias erant composita; itaque δημηγορίας (de quibus cf. Meierum comment. de Andoc. or. c. Alc. III not. 30; Opusc. pag. 114), ἐπιστολὰς et qui eorum pars sunt ἐρωτικοὺς (Suid; Spengel συν τεχν. 126 sq.) et ἐγκώμια et ἐπιταφίους (cf. Meierum ibid.) omnia declamationibus adscribenda esse iam id significat, quod inter τέχνας et Socratis apologiam, quae mera erat declamatio (Speng. συν. τεχν. 141; Meier. ibid. not. 40; Opusc. pag. 117) interposita sunt. Quem rerum conexum considerans quis dubitabit, quin omnia ab eodem auctore profecta sint? Auctores autem nominantur Dionysius et Caecilius; itaque aut hic aut ille haec tradiderit necesse est. Et Dionysius quidem in eis quae exstant scriptis nusquam diserte orationum numerum tradit, nisi quod dicit V p. 491, 4 R. Lysiam διακοσίων οὐκ ἐλάττους δικανικοὺς λόγους scripsisse. Sed ibid. cap. 14 cum de Lysiae genuinis et spuriis orationibus diiudicandis se scripturum polliceatur, inde haec desumpta possint videri; et in eandem sententiam faciunt illa de dicendi genere: δοκεῖ δὲ κατὰ τὴν λέξιν εὔκολος εἶναι κτλ., quae verbo tenus apud Dionysium: τῶν ἀρχαίων κρίσις V R. inveniuntur; similiterque ut Suidas (not. ad fr. 8) de Lysiae et Isocratis puro sermone iudicat Dionys. Lys. cap. 2: καθαρώτατος δὴ τῶν ἄλλων μετά γε Λυσίαν ἐν τοῖς ὀνόμασιν οὗτος (Isocrates) ἔμοιγε δοκεῖ γενέσθαι ὁ ἀνήρ. At Dionysio vehementer obstat, quod τέχνας Lysiae scriptas non modo memorasse sed ne nosse quidem videtur, quod iam Speng.

συν. τεχν. 136 animadvertit. Hac igitur causa et ceterarum vitarum in similibus rebus analogia coactus Caecilium eorum quae dixi auctorem esse statuo: Dionysium autem a Caecilio allatum invenisse videtur is qui haec excerpsit. In iudicio vero de Lysiae et Isocratis genere dicendi uterque consensisse et hic illum secutus esse potest. Illa tandem δοκεῖ δὲ κατὰ τὴν λέξιν εὔκολος κτλ. quamvis a Dionysio non abiudicaverim, tamen a posteriore manu alia, quam par erat, loco addita censeo; nam ut verborum ordo bene procederet, post ἐγένετο δὲ πιθανώτατος κτλ. erant collocanda.

14 GEN 64

99 933582